AN. LXXIX SERIES VII FASC. II AN. 1954

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., O. P. S. C. S. Officii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N, 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - VI - 1954.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

PIUS PP. XII. *Constitutio Apostolica* de Africa Orientali Britannica: in Kenia, Uganda, Tanganica Regionibus Catholicorum Ordo Episcoporum constituitur. (Adn. PAVENTI, X.) . . . . Pag. 191

— *Motu Proprio:* quaedam verba expunguntur a can. 2319, 1, 1°. (Adn. OESTERLE, G.). . . . . » 202

S. Congregatio S. Officii.

DECRETUM: proscriptio libri: CAMILLE MULLER, « *Humani Generis* » *et les problèmes scientifiques*. (Feria IV, die 2 decembris 1953). SUBMISSIONIS NOTIFICATIO. (Adn. C. M.) . . . . . » 209

DECRETUM: proscriptio libri: BERNHARD SCHEICHELBAUER, *Die Iohannis-Freimauresei* (Feria III - loco IV -, die 3 Ianuarii 1954) (Adn. C. M.) , ... » 211

S. Congregatio Consistorialis.

DECLARATIO de Missionariorum emigrantium officiis. (Adn. FERRETTO, I.) . . . . . » 214

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

Sacra Romana Rota.

Coram R. P. D. FRANCISCO BRENNAN, *Ponente. Nullitatis matrimonii.* Sententia definitiva. Species facti . . . . . » 223

STUDIA ET CONSULTATIONES

BENDER, L. Convalidatio matrimonii mixti cuius pars catholica non tenetur servare formam canonicam . . . . . » 233

MATTEI, S. Quesito sul « Piccolo Clero ». . . . . » 242

JUS ECCLESIASTICUM

Hispania.

Inter Sanctam Sedem et Hispaniam sollemnes conventiones. (Adn. PAPPALARDO, S.) . . . . . » 247

APPENDICES: I° - Art. III° Concordati anni 1851 . . . . . » 290

» II° - Convenio entre la Santa Sede y el Gobierno Español para la provision de beneficios consistoriales (7 Junio 1941) . . . . . » 290

» III° - Donvenio entre la Santa Sede y el Gobierno Español para la provision de beneficios no Consistoriales (16 Julio 1946) . . . . » 292

APPENDICES: IV° - Convenio entre la Santa Sede y el Gobierno Español sobre Seminarios y Universidades de estudios eclesiasticos (8 Diciembre 1946) . Pag. 296
» V° - Motu Proprio de Rota Nuntiaturae Apostolicae in Hispania denuo constituenda (7 aprile 1947) » 300
» VI° - Convenio entre la Santa Sede y el Estado Español sobre la jurisdiccion Castrense y asistencia religiosa de las fuerzas armas (5 agosto 1950) . . . . . » 308
» VII° - Constitutio Apostolica « Hispaniarum fidelitas » (5 agosto 1953) . . . . . » 313

RECENSIONES

SPIAZZI, R. *Essenza e contemporaneità della Chiesa.* (CARPINO, F.) . » 321
DE MONTCHEUIL, Y. *Problemi della Chiesa.* (CARPINO, F.) . . » 322
SHEEN, F. J. *Comunismo e coscienza dell'Occidente.* (CARPINO, F.) . » 322
BARTOCCETTI, V. *De causis matrimonialibus. Extractus ex vol. III°: Commentarii in judicia ecclesiastica juxta Codicem Juris canonici auctore Michael Card. Lega.* (F. M. C.) . . . . » 324
MOERDSDORF, E. *Kirchenrecht. Ferdinand Schöningh, Paderbon.* (OESTERLE, G.) . . . . . » 325

DOCUMENTA

Pii PP. XII. ALLOCUTIONES: Sodalibus Adoratoribus Ss.mi Eucharistici Sacramenti . . . . . » 331
— Sacerdotibus ab Italiae Episcopis pro iuvenibus ab Actione Catholica deputatis qui studio de recta religiosa iuvenum institutione Romae adfuerunt. . . . . » 333

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. - Acta SS. Congregationum. (MAURO, A.) . . » 337
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS



Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1954_79_2

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE AFRICA ORIENTALI BRITANNICA

IN KENIA, UGANDA, TANGANICA REGIONIBUS CATHOLICORUM ORDO EPISCOPORUM CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quemadmodum ad Nos, Dei numine et voluntate ad supremi Pontificatus fastigium elatos, redeunt omnium christianarum nationum luctus et dolores, cum in Ecclesiae sanctae navem illidunt procellarum impetus et maris commotio, ita ad Nos redeunt gaudia, cum fides catholica, quae est pupula oculorum Nostrorum, libero gressu, fines profert novisque filiis ditatur non secus ac primo vere solent arbores viridi fronde laetari. Quod felici nuntio evenire novimus in Africa Orientali Britannica, ubi, etsi non multa praeterlapsa sunt decennia ex quo christiani nominis praecones eo pervenerunt et regionem errore involutam evangelica veritate conspargere coeperunt, tamen multa messis Ecclesiae parta est. Quae cum ita sint, hoc praesertim persuasum habentes ibi catholicam fidem posse aptius foveri latiusque dilatari ubi ordo Episcoporum constituatur, de sententia venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titulo Apameni in Bithynia, atque in Africa Orientali et Occidentali Britannica Apostolici Delegati; de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositorum; eorum consensum supplentes qui aliquid iuris hoc in negotio sese habere arbitrentur; re denique in animo diu revoluta ac proinde certa scientia eorum quae sumus acturi, de suprema et apostolica potestate ea quae sequuntur statuimus.

Omnes Apostolicos Vicariatus, quos Africa Orientalis Britannica complectitur, ad dioecesium dignitatem evehimus; atque eandem regionem quae Keniae, Ugandae, Tanganicae oris efformatur, in

quattuor ecclesiasticas Provincias dividimus. Quarum prima erit Provincia ecclesiastica Ugandae quae constabit territorio metropolitanae archidioecesis Rubagensis, ac dioecesibus Masakensi, Kampalensi, Toronensi, Guluensi et Mbararensi e Vicariatu Apostolico orta qui de Ruwenzori appellabatur. Altera ecclesiastica Provincia Keniae appellabitur atque territoriis quae sequuntur constituetur: metropolitana archidioecesi Nairobensi, e Vicariatu Apostolico Zanzibariensi orta, ac suffraganeis dioecesibus Nyerensi et Kisumensi. Tertiam Provinciam, quae Tanganicae orientalis nomen habebit, earum Ecclesiarum territoria constituent quibus sunt indita nomina: Daressalamensis, quae erit metropolitana archidioecesis, Iringaensis, de Moshi, quae ad hoc temporis a iugo Kilima-Njaro cognominabatur, Morogorensis, e Vicariatu Apostolico Bagamoyensi orta, Dodomensis et Mbuluensis. Ultimae denique Provinciae, quae est Tanganicae occidentalis, metropolitana praeerit archidioecesis Taborensis, cui suffraganeae erunt dioeceses: Bukobaensis, Rutaboensis, orta e Vicariatu Apostolico de Kagera Inferiore, de Mwanza, Maaswensis, Kigomensis, Karemensis et Mbeyaensis.

Decernimus praeterea ut sive abbatiae nullius dioecesis de Peramiho et de Ndanda, sive praefecturae apostolicae de Meru, de Tanga et de Musoma ad gradum dioecesium nondum evectae, quam metropolitanam Sedem habeant suo territorio propinquiorem, eam episcopalium conventuum, quos vocant, causa adeant. Volumus praeterea ut omnes dioeceses quas commemoravimus, sint residentiales; atque iis sint suffraganeae et subiectae, quas in sua cuiusque provincia ecclesiastica metropolitanas constituimus. Cunctae autem Sedes, sive metropolitanae sive suffraganeae, Sacrae Congregationi Fidei Propagandae iurisdictione contineri iubemus et decernimus. Qui metropolitanis Ecclesiis praeerunt Rubagensi, Nairobensi, Daressalamensi, Taborensi, iis omnibus iuribus, privilegiis, honoribus frui poterunt quibus ceteri eiusdem gradus et dignitatis Praesules: ut est crucem ante se ferre, intra fines suae provinciae, et pallio uti, postquam tamen fuerit expostulatum in publico Consistorio et impetratum, iuxta liturgicas leges; tenebutur autem iisdem officiis et obligationibus quibus Metropolitae omnes iure adstringuntur. Metropolitanae vero Sedes iisdem ornabuntur iuribus aut onerabuntur obligationibus, quae ceterarum Ecclesiarum eiusdem dignitatis sunt propria. Item dioeceses earumque Praesules iisdem fruentur privilegiis et obstringentur oneribus, quae reliquis dioecesibus reliquisque Praesulibus competunt. Sive Archiepiscoporum sive Episco-

porum sedes ac domicilium in iis suae cuiusque Ecclesiae urbibus collocabuntur, quae sunt in regione principes e quibusve nomen archidioeceses vel dioceses inveniunt. Cathedram vero statuent Antistites in eo urbium templo quod sive amplitudine sive maiestate dignius existimabitur. Iubemus insuper ut in unaquaque dioecesi, ut est in iure, Collegium Canonicorum condatur. Quod si alicubi statim fieri nequeat, indulgemus ut Consultores dioecesani interea eligantur, quorum opera iuventur Episcopi. Qui, ut patet, erecto Canonicorum Collegio, a suo munere cessabunt. Educendis autem atque instituendis pueris, quos Pater caelestis ad sacerdotii honorem vocaverit, seminarium saltem elementarium in qualibet dioecesi erigatur, iuxta eas normas quae tum Codice Iuris Canonici continentur, tum a Sacra Congregatione Fidei Propagandae editae fuerint. Quae res si ad effectum adduci non poterit, qua tamen meliore potest ratione huiusmodi adolescentium institutioni consulatur. Mensae episcopales, quas vocant, iis bonis, si quae sint, constituentur quae unicuique Vicariatui Apostolico, ante dioecesium erectionem, accedebant; vel etiam iis pecuniis quas solet Sacra Congregatio Fidei Propagandae mittere; vel denique iis sive bonis sive pecuniis, quae a fidelibus christianis suppeditabuntur. Quod ad electionem Vicarii Capitulariris vel Administratoris Apostolici sede vacante, vel ad clericorum et populi iura et onera, in his omnibus religiose serventur quae iure praecipiuntur. Iubemus autem ut quibus religiosis Sodalitatibus curae fuerint Vicariatus Apostolici qui harum Litterarum vi in dioeceses redacti sunt, eorum ladoribus, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum, concredantur. Spes enim certa Nobis est nihil eos, qui sunt hucusque de Ecclesiae sanctae bono quam qui optime meriti, esse praetermissuros quod ad utilitatem sui cuiusque gregis conferat.

Volentes autem nunc earum archidioecesium et dioecesium, quas Nostris hisce Litteris constituimus, regimini consulere, eadem summa et apostolica potestate, quam a divino Redemptore in universum christianum populum accepimus, deque eorum venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, quos supra memoravimus, consilio simulque de venerabilis Fratris Davidis Mathew, Apostolici in Africa Orientali et Occidentali Britannica Delegati, sententia decernimus et statuimus ut qui iisdem archidiocesibus vel dioecesibus praesunt, ii residentialium Episcoporum honore augeantur et afficiantur. Qua de re eos, a prioribus Ecclesiarum vinculis quibus detinebantur solutos, ad Sedes quarum nomina hic subiciuntur, tranferimus, scilicet: Venerabilem Fratrem Iosephum Cabana, Societatis Missionum ad Afros

Sodalem, ab Ecclesia titulo Sufetulensi ad archiepiscopalem Sedem Rubagensem. Venerabilem Fratrem Franciscum Xaverium Lacoursière, e Societate Missionum ad Afros, ab Ecclesia titulo Vulturiensi ad Sedem episcopalem Mbararensem. Venerabilem Fratrem Iosephum Kiwanuka, e Missionum Societate ad Afros, ab Ecclesia titulo Thibicensi ad episcopalem Sedem Masakensem. Venerabilem Fratrem Vincentium Billington, e Societate de Mill-Hill, ab Ecclesia titulo Avissensi ad episcopalem Sedem Kampalensem. Venerabilem Fratrem Ioannem Greif, Sodalem Societatis S. Ioseph de Mill-Hill, ab Ecclesia titulo Belabitenensi ad episcopalem Sedem Tororensem. Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Cesana ab Ecclesia titulo Cerbalitana ad Sedem episcopalem Guluensem. Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam McCarthy ab Ecclesia titulo Cercinitana ad archiepiscopalem Sedem Nairobensem. Venerabilem Fratrem Carolum Cavallera, ex Instituto Missionum a Consolata, ab Ecclesia titulo Sufetana ad Sedem episcopalem Nyerensem. Venerabilem Fratrem Federicum Hall, e Societate S. Ioseph de Mill-Mill, ab Ecclesia titulo Albensi maritima ad Ecclesiam episcopalem de Kisumu. Venerabilem Fratrem Edgarum Aristidem Maranta, Sodalem Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum, ab Ecclesia titulo Vindenensi ad Sedem archiepiscopalem Daressalamensem. Venerabilem Fratrem Attilium Beltramino, Instituti Missionum a Consolata Sodalem, ab Ecclesia titulo Tuburnicensi ad episcopalem Sedem Iringensem. Venerabilem Fratrem Iosephum Byrne, e Congregatione a Spiritu Sancto, ab Ecclesia titulo Vasadensi ad episcopalem Sedem de Moshi. Venerabilem Fratrem Gerardum Hilhorst, Congregationis a Spiritu Sancto Sodalem, ab Ecclesia titulo Metellopolitana ad episcopalem Sedem Morogorensem. Venerabilem Fratrem Antonium Pesce, e Congregatione Ss. Crucis et Passionis D. N. I. C., ab Ecclesia titulo Caesariensi in Bithynia, ad episcopalem Sedem Dodomensem. Venerabilem Fratrem Patritium Winters, Societatis ab Apostolatu catholico Sodalem, ab Ecclesia titulo Burcensi ad episcopalem Sedem Mbuluensem. Venerabilem Fratrem Cornelium Bronsweld, e Societate Missionum ad Afros, ab Ecclesia titulo Caralliensi ad archiepiscopalem Sedem Taborensem. Venerabilem Fratrem Alfredum Lanctot, Sodalem Societatis Missionum ad Afros, ab Ecclesia titulo Avensensi ad episcopalem Sedem Bukobensem. Venerabilem Fratrem Laureanum Rugambwa ab Ecclesia titulo Febianensi ad episcopalem Sedem Rutaboensem. Venerabilem Fratrem Iosephum Blomjous, e Societate Missionum ad Afros, ab Ecclesia titulo Bubastitana ad Sedem episco-

palem de Mwanza. Venerabilem Fratrem Ioannem van Sambeek ab Ecclesia titulo Gergitana ad episcopalem Sedem Kigomensem. Venerabilem Fratrem Iacobum Siedle, Sodalem Societatis Missionum ad Afros, ab Ecclesia titulo Adraensi ad episcopalem Sedem Karemensem. Venerabilem Fratrem Antonium van Oorschoot, e Societate Missionum ad Afros, ab Ecclesia titulo Cenensi ad episcopalem Sedem Mbeyaensem.

Harum Ecclesiarum Praesules ipsarum regimen et administrationem sive religiosarum rerum sive temporalium bonorum habebunt. Placet insuper sive Archiepiscopos sive Episcopos, antequam in suarum dioecesium canonicam possessionem veniant, coram quolibet catholico Praesule, sincerae fidei caritatisque vinculo cum Petri Sede coniuncto, iusiurandum fidelitatis erga Romanum Pontificem dare, iuxta statutas formulas, quarum exempla his Litteris adiciuntur. Haec vero sigillo impresso et subscripto nomine ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae quam primum transmittenda curabunt. Ab iteranda tamen fidei professione de Nostra apostolica potestate liberamus. Haec omnia, quae praesentes Litterae continent, exsequenda curabit venerabilis Frater David Mathew in Africa Orientali et Occidentali Britannica Apostolicus Delegatus, idemque Archiepiscopus titulo Apamenus, in Bithynia; cui ergo conficiendae rei potestates tribuimus. Quas, si id visum fuerit, poterit etiam cuilibet viro subdelegare, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Volumus autem ut qui negotium perfecerit documenta quoque actae rei exaranda curet, quorum fide digna exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae quam primum transmittat.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi volumus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat: quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum praeferant viri in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in uni-

versum siquis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas qui summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo quinto mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

+ EUGENIXS Car. TISSERANT — PETRUS Card. FUMASONI BIONDI

Sacri Collegii Decanus — *S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus*

Hamletus Tondini

Apostolicam Cancellariam Regens

Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco + Plumbi

Reg in Canc. Ap., Vol. LXXXVII, n. 6.

(*A.A.S.* vol. 45 pag. 705-710).

ADNOTATIONES

Hisce postremis annis Sancta Sedes pluribus in missionum territoriis hierarchiam ecclesiasticam ordinariam constituit, uti in Sinis per bullam « Quotidie Nos », die 11 aprilis 1946 (A.A.S., 38 (1946) pp. 301-313), in Africa occidentali ditionis britannicae per bullam « Laeto accepimus », diei 18 aprilis 1950 (A.A.S., 42 (1950) pp. 615-625), in Africa meridionali per bullam « Suprema Nobis », die 11 januarii 1951 (A.A.S., 43 (1951) pp. 257-263), in Africa orientali britannica per bullam « Quemadmodum ad Nos », diei 25 martii 1953 (A.A.S., 45 (1953) pp. 705-710), in Pakistano Statu eadem Sancta Sedes dioecesium fines aliter circumscripsit et duas novas erexit provincias ecclesiasticas per bullam « Rerum locorumque », diei 15 julii 1950 (A.A.S., 43 (1951) pp. 66-69).

Nunc quaeritur: utrum supradicta territoria iurisdictioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide subiecta maneant et quatenus affirmative, quaenam sit eorum iuridica conditio.

Omnibus compertum est saeculo XVII, praesertim opera prioris Secretarii Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Francisci Ingoli (1622-1649), institutos fuisse in Indiis orientalibus vicarios apostolicos, ut necessitatibus apostolatus illarum regionum provi-

deri posset contra iura patronatus, mordicus defensa a gubernio Lusitaniae et pro Indiis occidentalibus a gubernio Hispaniae. Sequentibus saeculis novus agendi modus recentis Sacri Dicasterii Christiano Nomini Propagando ob eandem rationem communior evasit etiam in territoriis super quae praedicta gubernia nulla iura vindicare poterant.

Insuper prioribus annis Sacra Congregatio de Propaganda Fide solum vicarios apostolicos nominavit pro territoriis, quae iuridice adhuc pertinebant ad dioeceses iam constitutas. Seriori tempore erecti sunt etiam vicariatus apostolici, tamquam circumscriptiones ecclesiasticae omnino independentes et postea etiam praefecturae apostolicae. Hoc modo in ius ecclesiasticum introducta est distinctio inter hierarchiam ecclesiasticam ordinariam et extraordinariam et praesertim saeculo vertente fere omnes putarunt missionalia esse territoria, in quibus vigeret hierarchia extraordinaria. Quae sententia omnino reicienda est, nam etiam in territoriis missionalibus, iurisdictioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide obnoxiis, haberi potest hierarchia ordinaria, quae iuris divini est, scilicet haberi possunt dioeceses. Quasi-dioeceses, scilicet vicariatus et praefecturae apostolicae, institutae fuerunt solum ob rationes particulares quae hodie fere ubique non amplius vigent et consequenter eadem Sacra Congregatio potius favet hierarchiae ordinariae etiam pro suis territoriis. Quod quidem patet ex canone 252 par. 3 circa competentiam eiusdem Sacrae Congregationis quoad territoria: « Eius iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Huic Congregationi sunt etiam subiectae regiones, quae etsi hierarchia inibi constituta sit, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt ». Qua de causa sub iurisdictione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide haberi possunt sive dioeceses et Abatiae nullius sive quasi-dioeceses. Nunc temporis in missionum territoriis non habentur Praelaturae nullius sed nihil prohibet quominus deinceps erigantur.

Ergo per erectionem hierarchiae ordinariae in aliquo territorio, hoc territorium adhuc remanet sub iurisdictione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide et ut campus missionalis haberi debet, nisi aliud expresse declaraverit documentum pontificium. Etenim in bulla erectionis Praelaturae nullius Fluminensis, vulgo de Los Rios, in republica Aequatoriana, scripta legimus, quae sequuntur: « Digni sunt qui ad maioris dignitatis evehantur gradum Vicariatus illi apostolici, in quibus, sollerti Evangelii praeconum, studio, christiana religio insignes fecerit progressus. Quod evenisse laeto animo accepimus in Vicariatu apostolico Fluminensi, in Aequatoriana Republica, qui, licet quatuor tandum abhinc annos erectus sit, brevi tamen hoc temporis spatio in rebus ad spiritualia

bona pertinentibus ita Deo adiuvante profecit, ut non iam Missionum territorium sit aestimandus, sed in eo sacra hierarchia iure meritoque iam videatur constitui posse. Libenter itaque admittentes praeces Nobis datas,... Apostolicum, quem supra diximus, Vicariatum Fluminensem, a Nobis ipsis Apostolicis sub plumbo Litteris « Christianae plebis », anno 1948, die 15 mensis iunii conditum, suprema auctoritate Nostra ad Praelaturam nullius gradum eodem servato nomine, Fluminensis videlicet, evehimus, eamque a S. C. de Propaganda Fide iurisdictione subtrahimus et S. C. Consistorialis iurisdictioni subiectam volumus » (A.A.S., 44 (1952) pp. 209-210).

Anno 1950 territorium Praefecturae apostolicae Tefensis in Brasilia in Praelaturam nullius, eodem servato nomine, erectum est et, ut in Constitutione apostolica expresse declaratur, dicioni S. C. de Propaganda Fide subductum fuit atque regimini S. C. Consistorialis subiectum (A.A.S., 43 (1951) pp. 193-194). Dum e contra cetera documenta id genus vel implicite vel explicite edicunt territoria, in quibus erigitur hierarchia ordinaria, adhuc sub iurisdictione S. C. de Propaganda Fide manere. Implicite ut in bulla pro constituenda hierarchia in Sinis et in plurimis aliis; explicite dependentia a S. C. de Propaganda Fide declaratur in bulla pro instituenda hierarchia in Africa occidentali ditionis Britannicae, in Africa meridionali et in Africa orientali Britannica.

Nunc quaertur: Quinam est iuridicus territorii missionum status, quod adhuc iurisdictioni S. Congregationis de Propaganda Fide obnoxium remanet post institutam hierarchiam ordinariam?

Plura habentur iuris consectaria. Imprimis Vicarii vel Praefecti apostolici, quorum territoria in dioeceses evecta sunt, fiunt Episcopi residentiales. Prius in illo territorio vicem gerebant Romani Pontificis, in dicta regione per ipsos adimplentis munus suum apostolicum dilatandi regnum Christi per infidelium et haereticorum conversionem. Eorum potestas ordinaria vicaria fit simpliciter ordinaria et ut ceteri Episcopi residentiales habendi sunt tamquam Apostolorum successores (can. 329), qui praeficiuntur sicut ordinarii et immediati pastores Ecclesiae particulari, cui vinculo perpetuo tamquam sponsi devinciuntur, quam ex religionis et iustitiae debito ut suam administrare debent. Ad Concilium Oecumenicum vocari debent in eoque ius habent suffragii deliberativi (can. 223)). Antea per privilegium, concessum a Benedicto XV, Vicarium Delegatum nominare poterant, nunc ad normam can. 366, quoties rectum dioecesis regimen id exigat, ab ipsis constituendus est Vicarius Generalis. Insuper post erectam hierarchiam ordinariam, novi Episcopi residentiales observare debent canones dioecesium regimen respicientes, praesertim can. 329-450. Curia dioecesana, in

quantum possibile est, constituatur, examinatores synodales vel prosynodales atque parochi consultores nominentur, necnon consultores dioecesani, cum generatim in missionum territoriis cathedrale canonicorum Capitulum non constituatur. Sede impedita aut vacante sequendi sunt canones 429-444. Qua de causa in dioecesibus missionum, sede vacante, cum amplius haberi nequeant Pro-Vicarii vel Pro-Praefecti, regimen territorii assumitur a Vicario Capitulari, nominandus ad normam sacrorum canonum, nisi adfuerit Administrator Apostolicus vel aliter a Sancta Sede provisum fuerit [1]. Insuper quasi-parochi ipso facto parochi fiunt.

Secundum can. 275 Metropolitae in missionum territoriis obligatione tenentur in Consistorio per se vel per procuratorem pallium petendi. Casu, quo Consistorium non convocetur, petere possunt a S. C. de Propaganda Fide rescriptum ad facultatem obtinendam etiam ante Pallii receptionem exercendi munia, quae Pallii ipsius usum requirunt [2].

---

[1] Ante Codicem latum per praescripta particularia successio interina in quibusdam missionum dioecesibus iure peculiari regebatur. Etenim Commissio pro interpretatione Codicis ad dubium:

Utrum dispositiones particulares Concilii Baltimorensis, quoad ius nominandi Administratorem dioecesis, sede vacante, adhuc vigeat; an per novum Codicem abrogatae sint. Et quatenus negative ad primam partem; 2. An servandum sit praescriptum can. 427.

Resp.: Ad 1. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad 2. Affirmative et ad mentem. Mens autem haec est: Quatenus speciales circumstantiae hic et nunc impediant quominus in illa regione applicetur can. 427, S. C. Consistorialis instructiones opportunas, ad tempus servandas, praebeat, dempto omnino Episcopis iure nominandi Administratorem dioecesis, mortis causa. (A.A.S., 11 (1919) pp. 75-76).

En praescriptum Concilii Plenarii Baltimorensis (can. 96): « Unusquisque Episcopus acceptas a S. Sede facultates idoneis sacerdotibus .... communicare potest; et praesertim tempore sui obitus, ut sede vacante sit qui possit Episcopi defuncti vices supplere, donec Apostolica Sedes certior facta .... alio modo provideat. Quod si (can. 97) Archiepiscopo aut Episcopo obeunte, nemo adsit qui praedictarum facultatum communicationem rite obtinuerit seu aliter quam per Antistitis obitum dioecesis vocare contigerit, Metropolitanus Antistes, vel in ipsius defectu aut si de ipsa Metropolitana ecclesia agatur, senior ex suffraganeis, idoneum virum ecclesiasticum designet, qui dioecesis regimen gerat... donec Apostolica Sedes... secus de re non disposuerit ».

[2] En specimen rescripti circa rem:

Sacra Congregatio de Propaganda Fide, vigore facultatum sibi a SS.mo D. N. PIO Div. Prov. Papa XII tributarum, Exc.mo D.no Archiepiscopo.... concedit facultatem etiam ante Pallii receptionem (quod jam per suum in Urbe Procuratorem impetravit), libere et licite exercendi munia omnia sive metropolitica sive episcopalia, quae Pallii ipsius usum iuxta Sacros Canones requirunt.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die .... mensis.... Anno Domini....

Ut omnia iuris consectaria paucis perstringam, sufficit hoc principium statuere: Dioeceses missionum, licet a Sacra Congregatione dependeant, eodem reguntur iure cunctis in negotiis ac ceterae dioeceses Ecclesiae iam fundatae.

Cum vero dioeceses Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiectae tamquam territoria missionalia haberi adhuc debeant, in quibus Ecclesia est plantanda, iure meritoque eadem Sacra Congregatio plura concessit privilegia quo facilius evangelii praecones disciplinae vitae christianae neophytarum atque operi dilatandi Christi regnum inter infideles providere possent.

Imprimis omnibus Episcopis dioecesium et quasi-dioecesium formulam maiorem facultatum decennalium concedit atque etiam plures alias facultates per rescripta particularia. Praeterea in favorabilibus quaedam praescripta lata pro quasi-dioecesibus extendit etiam ad dioeceses missionales. Exempli gratia: parochi dioecesium missionalium habendi sunt omnes amovibiles, in curia dioecesana instruenda permittitur ut quaedam iuris normae non adamussim observentur ob sacerdotum defectum. Quoad tribunalia privilegia conceduntur quo expeditius causas absolvere queant.

Quoad obligationem Missam pro populo celebrandi sufficit legere epistolam nuper transmissam a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad Rev.dum Procuratorem Congregationis Filiorum S. Cordis Jesu:

Prot. N. 166/54 Romae, 26 ianuarii 1954

Reverendissime Pater,

per epistolam diei 15 mensis ianuarii vertentis anni Paternitas Tua huic Sacro Dicasterio dubia, quae sequuntur, proposuit:

1. Utrum Episcopi in locis Missionum, ubi recenter Sacra Hierarchia constituta est, teneantur can. 399 circa Missas pro populo celebrandas, an can. 306 pro Vicariis et Praefectis Apostolicis.

2. Utrum Parochi in locis Missionum teneantur can. 466 circa Missas pro populo celebrandas.

3. Utrum in locis Missionum, ubi recenter Sacra Hierarchia constituta est, vigeat can. 309 circa regimen ecclesiae, sede vacante, an vigeant normae in Cap. VII — Pars I — Lib. II « De Sede vacante » (can. 429-444) ita ut Consultores dioecesani eligant Vicarium Capitularem (can. 427).

Omnibus mature perpensis, hoc idem Sacrum Dicasterium respondendum censuit:

Ad primum: Episcopi residentiales in locis Missionum possunt Missas pro populo celebrare ad normam can. 306.

Ad secundum: Parochi in locis Missionum possunt Missas pro populo celebrare ut quasi-parochi.

Ad tertium: Dioeceses Missionum, canonicae erectae, sede vacante et impedita, reguntur eodem iure ac ceterae dioeceses.

Dum interim Deum adprecor ut Te Deus gratiis plurimis cumulet, summa cum observantia subsignor.

Paternitati Tuae Reverendissimae
addictissimus in Domino

P. Card. Fumasoni Biondi, Praef.
+ Ph. Bernardini, a Secret.

Postremo secundum particulares instructiones permitti potest ut in missionum dioecesibus aliqua pars territorii indivisa maneat, idest sine designatione limitum paroecialium.

Alia iuris consectaria, quae originem ducunt ex ipso actu commissionis dioecesis alicui Instituto missionali, ad trutinam revocantur in libro: Breviarium iuris missonalis, Romae 1952 a X. Paventi scriptum, quo facilius expeditiusque praescripta de re missionali addiscere et in praxim deducere missionarii valeant.

Xaverius Paventi

MOTU PROPRIO

QUAEDAM VERBA EXPUNGUNTUR A CAN. 2319 § 1, 1°

PIUS PP. XII

Ecclesiae bonum postulat ut, quantum fieri potest, caveamus ne, incertis privatorum hominum de germano canonum sensu opinionibus et coniecturis, Iuris canonici stabilitas in discrimen vocetur, neve, subtilitatibus et cavillationibus immorando, contra apertam legislatoris voluntatem, legum violatoribus indulgeatur iniuste, quod nervum ecclesiasticae disciplinae disrumpit.

Sed quidam sacrorum canonum interpretes id non satis attendentes vim can. 2319 § 1, 1° extenuarunt atque, plus aequo innixi praescripto can. 1063 § 1 in eodem revocati, docuerunt non quodlibet matrimonium a catholicis initum seu attentatum coram ministro acatholico puniri excommunicatione Ordinario reservata.

Itaque ne christifideles, metu poenae liberati, eiusmodi crimen admittere audeant, Nos, auditis E.mis ac Rev.mis Patribus Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, Motu Proprio ac de plenitudine Apostolicae potestatis, decernimus atque iubemus ut a can. 2319 § 1, 1° expungantur verba « *contra praescriptum can. 1063 § 1* ».

Mandamus autem ut hae Litterae Apostolicae, Motu Proprio datae, in *Actis Apostolicae Sedis* edantur.

Contrariis quibuslibet non obstantibus, etsi peculiarissima mentione dignis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXV Decembris mensis, in festo Nativitatis Domini, anno MCMLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.*, vol. 46, pag. 88).

ADNOTATIONES

Post publicatum Codicem lis inter auctores mota est, utrum ad incurrendam censuram can. 2319 § 1. n. 1 sufficiat unice matrimonium coram ministro acatholico contractum an requiratur, ut coniuges, etsi dispensati super impedimento mixtae religionis, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum adeant quoque,

sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Ansam dedit illud can. 2319 § 1. n. 1: « contra praescriptum can. 1063 § 1 ». Inter primos cel. Eichmann hanc quaestionem examini accurato subiecit in Periodico « Theologie und Glaube » [1]. Auctor nixus can. 1063 § 1., de quo sermo in iure poenali, asseruit: est *absolute clarum* agi in can. 2319 § 1 n. 1 de matrimonio contracto tum coram ministro catholico tum coram ministro acatholico. Si coniux catholicus cum acatholico baptizato contrahit solum coram ministro acatholico, est suspectus de haeresi (can. 2316); item vi can. 2315 contra ipsum Ordinarius procedere poterit, sed nullo modo incurrit censuram can. 2319 [2]. Contra sententiam Eichmann scripsit Suso Mayer O. S. B. [3]. Auctor asserit: can. 2319 esse etiam applicandum can. 1071 seu matrimonio catholici cum infideli; quam applicationem Eichmann negavit. Deinde M. respondet ad quaestionem in quonam consistit delictum can. 2319 § 1 n. 1? Responsio haec est: ad perpetrandum hoc delictum praeter culpam tria elementa requiruntur: a) delinquens sit oportet catholicus; b) ineat matrimonium mixtum; c) coram ministro acatholico uti sacris addicto. M. probat suam thesim primo ex verbis canonis 1063; deinde ex consequentiis absurdis contrariae opinionis, tandem ex Fontibus C.I.C., quorum plures citantur; ex ipsis M. hanc conclusionem concludit: decreta S. S. ante Codicem emissa clare demonstrant excommunicationem incursam fuisse non solum in casu matrimonii coram ministro catholico et acatholico celebrati, sed etiam in casu connubii unice coram ministro acatholico initi. Unde quaesttio solvenda iuxta can. 6 n. 2. Cui sententiae favent etiam Instructiones dioecesanae v. g. Colonien., Friburgen., in Brisgovia.

Contra P. Mayer iterum Eichmann propugnat suam opinionem in « Archiv » [4]. Prout Mayer, ita etiam Eichmann suum intentum probare studet ex ipso textu obicitque adversario falsam interpre-

---

[1] vol. 24 (1926), 206 / 15. Notandum: Knecht, Handbuch des Katholischen Eherechts (1928) p. 315 claris verbis edixerat sufficere pro incurrenda poena solum actum coram ministro acatholico: citat S. C. S. O. 29 aug. 1888 (Archiv für Katholisches Kirchenrecht 65, 118) et 18 maii 1892 (recte: 11 maii: Fontes C. I. C. vol. IV n. 1154).

[2] Barion in « Bonner Zeitschrift für Theologie und Seelsorge » (vol. 8, 1931 p. 41/52) eandem quaestionem tractavit censuitque: extat dubium iuris: unde securius est dubium proponere Commissioni ad Codicis canones authentice interpretandos. Eichmann econtra asseruit nullum dubium in casu existere, sed certitudinem de sua opinione.

[3] Archiv. vol. 113 (1933) p. 488-495.

[4] vol. 114 (1934) p. 484 - 491.

tationem textus, reiecitque imputatam absurditatem consequentiarum. Quod attinet Decreta S. S., Eichmann contendit: Illa Decreta non respiciunt copulationem coram ministro catholico et acatholico, sed unice matrimonia coram acatholico ministro celebrata. Unde negat applicationem can. 6 n. 2. Conclusio: can. 2319 § 1 n. 1 ex textu claro respicit unice et solum matrimonium coram ministro catholico et acatholico contractum.

P. Oesterle [5] anno subsequenti etiam in campum controversiae ingressus est. Primo commemorantur auctores, qui opinionem Eichmann tenere videntur — textus non semper clari — et sententia P. Mayer. P. Oesterle pro interpretatione textus via sequenti procedit:

1. absolute certum est: S.C.S.O. excommunicationem saltem pro foro externo habet incursam, si matrimonium mixtum contractum fuerit coram ministro acatholico, *etsi* copulatio catholica neque praecesserit neque secuta fuerit; facultas a S.C.S.O. Ordinariis in Quinquennalibus concessa sanandi in radice matrimonia attentata coram officiali civili vel *ministro acatholico cum impedimento mixtae religionis* aut disparitatis cultus. Nihil de praecedente aut subsequente copulatione catholica; econtra: *sanatur* matrimonium mixtum invalidum, expresse invalidum, quia contractum sine forma catholica; et nihilominus Ordinarius « serio moneat partem catholicam de gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat, et si casus ferat, *eam ab excommunicatione absolvat iuxta Cod .I. C. can. 2319 § 1 n. 1* ». « Si casus ferat »i. e. si coram ministro *acatholico* matrimonium celebratum fuit [6].

2. Item est certum *ante Codicem* celebrantes matrimonium mixtum coram ministro acatholico censuram excommunicationis incurrisse. P. Oesterle notat P. Mayer principaliores decisiones S.C.S.O. citasse, sed addit duas alias, sc. illam 22 mart. 1879 et 29 aug. 1888. Porro monet P. O. pro interpretatione can. 2319 § 1 n. 1 non invocandum esse can 6 n. 2 prout P. Mayer neque can. 6 n. 5 prout Eichmann, sed can. 6 nn. 3 et 4, prout Michiels in suis Normis Generalibus [7].

---

[5] Theologie und Glaube, vol. 27 (1935) p. 580 - 590.

[6] Eandem normam continent facultates Nuntiis Apostolicis concessae: « concessa eidem absolutione a censura, *si coram acatholico ministro* matrimonium attentaverit.

[7] P. O. citat etiam Schema de Sacramentis n. 386: « ipso facto incurrunt excommunicationem *Sanctae Sedi* reservatam: 1° qui ante vel post contractas nuptias se sistere praesumpserit coram haeretico vel schismatico ministro ». In nota: « quando si esporrà la parte penale, si vedrà se questo canone rimane qui ». Consultor proposuit hanc formulam: « qui pro matrimonio coram ministro acatholico sacris addícto se sistunt, excommunicationem incurrunt ».

3. P. O. monet ad summam prudentiam in Codicis interpretatione, si textus refert lectorem ad alios canones; v. g. can. 551 § 2 refert ad can. 570 § 1. Saltem tres diversae sententiae de hac relatione; can. 580 § 3. citat can. 569 § 2. Quae confusio in concordandis his canonibus; can. 588 § 2. invocat can. 559 § 2 § 3., saltem quattuor opiniones iustam interpretationem invenisse praetendunt. Quid significat in can. 1045 § 1. illud « super *omnibus* impedimentis, de quibus in cit. can. 1043 ». Quid in can. 1045 § 3. illud « *eadem* facultate gaudent omnes, de quibus in can. 1044? Quae confusio in can. 313. cum relatione ad can. 334 § 3.? Unde summa prudentia adhibenda in interpretatione can. 2319 § 1. n. 1 referentis ad can. 1063 § 1. Cl. Haring scribit ad hunc canonem: « ex ipso canone perspicitur, quam difficile sit componere Codicem legum; insuper perspicitur etiam Codicem non obstante sua praestantia exhibere quosdam in *pulchritudine* defectus ». Deinde P. O. exponere studuit illud incisum: « contra praescriptum can. 1063 § 1 ». Quod incisum potuit sumi in *duplici* sensu: si intelligimus sub § 1. *totam* paragraphum ab « etsi » usque « ad renovandum », iustificata est sententia Eichmam circa *duplicem* copulationem coram ministro catholico *et* ministro acatholico. Non licet incisum « contra praescriptum can. 1063 § 1. « referre ad *totam* paragraphum et nihilominus in can. 2319 § 1. n. 1 incisum sumere de mera copulatione coram ministro acatholico. Non valet argumentum a fortiore allegatum a P. Mayer; obstant can. 2219 § 3. Quia P. Meyer verba: « contra praescriptum can. 1063 § 1. refert ad *totam* paragraphum, necessitate logica pervenit ad persuasionem: « matrimonium » in can. 2319 § 1. n. 1 est « matrimonium mixtum ». Sed vi declarationis S.C.S.O. de 20 jun. 1920 poena incurritur etiam a *duobus catholicis* a fide catholica apostatis et celebrantibus matrimonium coram ministro acatholico; non agitur ergo de matrimonio mixto.

Verba « contra praescriptum can. 1063 § 1 ». admittunt etiam *alium* sensum. Canon 1063 distinguit duplicem ministrum acatholicum; in § 1. occurrimus ministro acatholico *uti sacris addicto;* in § 3. ille minister est *officialis civilis tantum munere fungens;* insuper in eodem canone *duae classes* sponsorum allegantur, sc. eorum, qui adeunt ministrum acatholicum « *ad matrimonialem consensum praestandum* » (§ 1.), et illorum, qui ipsum adeunt, « *ad actum civilem* dumtaxat explendum effectuum civilium gratia » (§ 3). Species delicti (can. 2319 § 1. n. 1) verificata est, si *catholicus* violat can. 1063 § 1.; requiruntur ad hoc duo elementa: a) minister acatholicus debet esse « *sacris addictus* »; quod non sufficit; catholicus b) debet coram ministro qua tali consensum praestare aut renovare.

P. Oesterle pro hac opinione sequentes allegavit rationes:

a) prima editio Codicis hunc tenorem exhibuit: « can. 2319 § 1.: subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici: 1° qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063; defuit § 1. ad can. 1063. Patet per se poenam non tangere illos, qui vi § 3. adierunt ministrum acatholicum *ad actum civilem* explendum. Unde solummodo respicienda erat § 1. Necessario per pura verba « contra can. 1063 » idea creata est solummodo copulationem coram *utroque* ministro subesse poenae can. 2319 § 1. n. 1. Ut haec idea, creata per ipsa verba legis, corrigatur textus mutatus est ponendo ad can. 1063 illam § 1. [8]. Additio § 1. immediate creavit quoddam oppositum; quod oppositum fuit § 3.

b) ipse textus can. 2319 § 1. n. 1.

Verba: « qui *matrimonium* ineunt » per *se* non significant *duplicem* copulationem; etiam contextus potius insinuat unam copulationem quam duplicem; can. 2319 § 1. continet *duo* delicta in contrahendo matrimonio: 1° matrimonium inire coram ministro acatholico; 2° matrimonio uniri cum pacto; qui casus supponit unam copulationem. Quo iure in n. 1 sub matrimonio intelligitur duplex copulatio? Instas: n. 1 continet clausulam: « contra praescriptum can. 1063 § 1. « Ipsa *positio* horum verborum monere debuit ad circumspectionem et cautionem. Terminus « contra praescriptum can. 1063 § 1. » vi suae positionis est referendus ad verba *immediate* praecedentia sc. « coram ministro acatholico »; *de hoc* loquitur can. 1063 § 1. cum sequenti restrictione: « *uti sacris addicto* ». Similem casum habemus in can. 1043. Summa dispensandi facultas restringitur per incisum: « exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et affinitate in linea recta *consummato matrimonio* ». Quae duo verba saltem triplicem receperunt interpretationem; de facto referenda erant unice ad verba *immediate* praecedentia, sc. affinitatem in linea recta [9].

---

[8] Acta Apost. Sedis, vol. IX P. II. Appendix p. 525 notant; « in officiali C. I. C. editione nonnullae irrepserunt mendae, quas Ssmus in audientia infrascripto Cardinali hodie concessa corrigendas, prout sequitur praecepit: sequuntur 24 mendae. Ex Aedibus Vaticanis die 17 mensis octobris anni 1917; p. 526 sq. enumerantur 53 « Errata » cum « Corrige » Eaedem mendae citantur in « Acta Apost. Sedis » vol. IX p. 557; p. 589 habetur « Monitum »: « in emendationem C. I. C. indiculo p. 557 horum Actorum edito legendum erat: Can. 1252 § 4 legatur: cessat excepto *festo* tempore Quadragesimae nec pervigilia ».

[9] cf. Oesterle in periodico « Pastor bonus » 1941 vol. V. p. 195 sq. et in « Theologisch - praktische Quartalschrift » 1938 p. 519.

c) Etiam ipsa praeparatio Codicis insinuat potius unam copulationem quam duas. Ne nimius sim, sufficiant citasse Schema ad librum quintum de Delictis, can. 124; imprimis can. 368 de Rebus. In contextu huius canonis verba « contra praescriptum etc. » unice sensum habere potuerunt: coram ministro *uti sacris addicto.* Quae opinio confirmatur ex eo, quod S.C.S.O. in decretis 22 mart. 1879; 17 febr. 1874; 17 mart. 1874; insinuat illud « minister *sacris addictus* » [10].

d) Auctores praecipui confirmarunt hanc interpretationem: Gasparri, De Smet, Triebs, Haring.

Post haec omnia Eichmann de novo sumpsit calamum [11]. Postquam allegavit P. Mayer, P. Oesterle, Iosephum Klein tamquam suos adversarios in hac quaestione, suam opinionem sine ira et odio proponit distinguendo inter praxim et theoriam. *Practice* quaestio est soluta per allegatam a P. Oesterle facultatem a S.C.S.O. Ordinariis concessam, sc. sanandi matrimonia in radice [12]. *Scientifice* quaestio nondum est soluta; pro Codice repetitae praelectionis futuro opportune « defectus pulchritudinis » et ambiguitates existentes notantur et carpuntur. E. procedit ex textu et contextu, notat obiectionem Iosephi Klein tenetque: agitur in can. 2319 § 1. n. 1 de *duplici* copulatione. Deinde E. recenset sententiam P. Oesterle et normas iuris antiqui; insuper E. notat in can. 2314 non comprehensos esse fautores haeresis, de quibus can. 2316; unde etiam diversas poenas statutas esse. E. non admittit applicationem can. 6 n. 3. 4. prout P. Oesterle, neque ex Schematibus Codificationis eandem conclusionem concludit ac P. O. Deinde E. explicat can. 2319 et ponderat argumentum ex auctoritate. E. post suam copiosam expositionem concludit: regnat dissonantia inter legem et praxim. Unde haec dissonantia? Duplex solutio est possibilis: facultates quinquennales S.C.S.O. fundantur in Decretis ante Codicem vigentibus et in Codice retentis. Sed tale assertum repugnant can. 6 n. 5. Post abrogatam Bullam « Apostolicae Sedis » illa Decreta non habent amplius in iure fundamentum. Alia contradictionis explicatio haec est: curialis Iurisprudentia, quae inclinat ad severiorem disciplinam in causis matrimonii mixti, per tramitem facultatum quinquennalium a Romano Pontifice approbaturum — stilus curiae vim habet legis — restituit statum iuris antiqui.

Conclusio Eichmann haec est: in Codice praxis vigens non habet fundamentum; interpretem Codicis subit « vis maior ». Curialis

---

[10] S. C. S. O. 17 mart. 1874: Fontes C. I. C. vol. IV n. 1029.

[11] Theologie und Glaube, vol. 27 (1935) p. 714-727.

[12] l. c. pag. 581 sq.

praxis fundamentum haberet, si formula P. Oesterle in Codice usurparetur: « qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico uti sacris addicto ». « Motu proprio » confirmavit sententiam Mayer-Oesterle uti *germanam* interpretationem can. 2319 § 1. n. 1 oppositamque sententiam habet uti defensam « contra apertam legislatoris voluntatem ».

« Motu proprio » expungendo verba « contra praescriptum can. 1063 § 1. » approbavit formulam: « qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico », utpote sacris addicto.

D. G. Oesterle O. S. B.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

I

S. CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 2 Decembris 1953

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt opusculum quod inscribitur:

Camille Muller, *L'Encyclique « Humani Generis » et les problèmes scientifiques*, Louvain, E. Nauwelaerts, 1951.

Et feria V, die 10 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in audientia E.mo Card. Pro-Secretario Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 14 Decembris 1953.

Marius Crovini, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

(*A.A.S.*, vol. 46, pag. 25).

SUBMISSIONIS NOTIFICATIO

Camillus Muller laudabiliter se subiecit decreto S. Officii diei 2 Decembris 1953, quo damnatum et in Indicem librorum prohibitorum insertum est opusculum ab eo editum sub titulo *L'Encyclique « Humani Generis » et les problèmes scientifiques*, Louvain, E. Nauwelaerts, 1951.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 4 Februarii 1954.

MARIUS CROVINI

Supremae S. Congr. S. Officii Notarius

(*A.A.S.*, vol. 46, pag. 64).

ADNOTATIONES

Sac. Muller, olim in Universitate Lovaniensi Professor, hoc opusculum anno 1951 edidit, colligens quae in quodam articulo, cui titulus « Science et foi », iam scripserat (in libro: *Problèmes d'adaptation dans la chrétienté actuelle*, *Estudes de Pastorale*, vol. 4, Louvain, ed. Nauwclaerts, 1951).

Rationes ob quae hoc opusculum damnatum est in « L'Osservatore Romano », diei 6 mensis ianuarii 1954, officiose expositae sunt. Opusculum damnatum est:

1) ob quandam irreverentiam erga Pontificium Documentum, i. e. Litteras Encyclicas « Humani generis »: huiusmodi enim Documenti debitam rationem opusculi auctor non habuit, quinimmo Illud in nonnullis reprehendit, ea ratione ductus quod de solemni et infallibili Romani Pontificis magisterio non agitur;

2) ob thesim ipsam quam auctor tenet circa gradum certitudinis hypotheseos evolutionismi, quae quidem thesis, utpote in qua defenditur *certitudo evolutionismi*, contra easdem Litteras Encyclicas esse dignoscitur.

In huiusmodi opinionibus defendendis, auctor nec solus, nec audacior est aliis auctoribus; proinde damnatio opusculi eius eo potius fine facta est ut catholici scriptores omnes urgeantur ad maius obsequium et promptiorem, sicut filios decet, subiectionem erga Magisterium, etiam ordinarium, Ecclesiae.

Sese laudabiliter submittens, Muller demonstravit se velle plenae adherere orthodoxiae, sicut, caeteroquin, omnibus qui eum cognoscebant, notum erat.

Opportunum nobis hic videtur illustrare statum quaestionis circa varias sententias de scientifico [1] evolutionismo.

1. - Litterae Encyclicae « Humani generis » permittunt, quosdam intra limites et conditiones, ut teneatur tum contraria tum favorabilis sententia scientifico evolutionismo: « Quamobrem Ecclesiae Magisterium non prohibet quominus « evolutionismi » doctrina... pro hodierno humanarum disciplinarum et sacrae theologiae statu, investigationibus ac disputationibus peritorum in utroque campo hominum pertractetur... » (A.A.S., vol. XXXXII (1950) p. 575).

---

[1] Evolutionismus philosophicus explicite damnatus est. Nomine evolutionismi scientifici, de quo in articulo nostro, ille intelligitur qui ita describitur in eisdem Litteris Encyclicis. « ... quatenus nempe de humani *corporis* origine inquirit ex iam exsistente ac vivenle materia oriundi... » (A. A. S., vol. XXX (1950) p. 575).

2. - Limites vero duo numerantur:

a) sententia evolutionismo favorabilis habenda non est ut certa et demonstrata: « Hanc tamen disceptandi libertatem nonnulli temerario ausu transgrediuntur, cum ita se gerant quasi si ipsa humani corporis origo ex iam exsistente ac vivente materia per indicia hucusque reperta ac per ratiocinia ex iisdem indiciis deducta, iam certa omnino sit ac demonstrata » [2] (ib., p. 576);

b) ratio habenda est eorum quae ex revelatione (S. Scriptura et Traditione) nota sunt, quae omnia vel in praesenti quaestione maximam moderationem et cautelam postulant.

3. - Conditiones duae etiam numerantur:

a) paratos omnes esse oportet ad Ecclesiae iudicio obtemperandum, etiamsi hoc iudicium contrarium esset nostrae sententiae: « dummodo omnes parati sint ad Ecclesiae iudicio obtemperandum, cui a Christo munus demandatum est et Sacras Scripturas authentice interpretandi et fidei dogmata tuendi »;

b) utriusque sententiae rationes prudenter et moderate perpendendae sunt: « ... ita quidem ut rationes utriusque opinionis, faventium nempe, vel obstantium, debita cum gravitate, moderatione ac temperantia perpendantur ac diiudicentur » (ib., p. 576).

C. M.

---

[2] Hoc dictum intelligas de certitudine proprie dicta, non de illa certitudinis specie quae abetur, iuxta quosdam, in scientiis « sperimentalibus », quae philosophice melius appellaretur « maior probabilitas ».

II

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria III (loco IV), die 5 Ianuarii 1954

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Bernhard Scheichelbauer, *Die Iohannis - Freimaurerei*, Versuch einer Einführung, Wien, Verlag O. Kerry, 1953.

Et feria V, die 14 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in audientia E.mo Card. Pro-Secretario Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 16 Ianuarii 1954.

MARIUS CROVINI

Supremae S. Congr. S. Officii Notarius

(*A.A.S.*, vol. 46, pag. 63-64).

ADNOTATIONES

Post ultimum bellum hinc inde fama exierat relationes inter Catholicam Ecclesiam et massonicam sectam brevi tempore fuisse mutaturas, immo imminens fuisse aliquod pactum inter ecclesiasticas Auctoritates et quosdam massonicos « ritus ». Quod quidem a quibusdam, certis « ritibus » praesidentibus, bona fide optatum et conatum fuisse probabile est. Attamen haec duo certo constabant: a) alios « ritus », praesertim maiores, pergere in suo habitu et mente contra Ecclesiam et, quod magis interest, in suis principiis funditus erroneis et principia catholica adversantibus; b) etiam in « ritibus » qui, ut probum est heic declarare, desierant a spiritu averso a clericis, remansisse et adhuc manere quaedam principia clare affirmata quae a catholicis acceptari nequeunt.

Quamvis autem graves personae saepe declaravissent modum sese gerendi Ecclesiae erga massonicam sectam mutatum non fuisse, quidam tamen catholici in ambiguitatem incidebant putandi posse quemquam adhaerere simul Ecclesiae et massonicae sectae.

Ad sectam massonicam Johanneam in Austria florentem quod attinet autem, rumor erat ipsam componi cum fidei catholicae professione atque ipsi adhaerentes in excommunicationem de qua in can. 2335 C. J. C. non incidere.

Liber, de quo agimus, qui in Indicem Librorum prohibitorum redactus est, ab ipso « Summo Magistero » sectae massonicae Johanneae scriptus est, ut eius principia exponeret. Quae etsi non amplius atheismum et animum aversum a clericis redoleant, sicut erant principia aliorum « rituum » pareteritis saeculis, longe tamen distare inveniuntur a principiis catholicae fidei. Etenim auctor vel in ipsa praefactione explicite declarat: Finis huius libri duplex est: principia fundamentalia exponere ut sectae massonicae adhaerere volentes instruantur et cognoscant quaenam sint « puncta » stabilia ad obiectivam « conceptualem » formationem adipiscendam. Principaliores vero ideae quae in libro exprimuntur his paucis

verbis reassumi possunt: Finis immediatus sectae massonicae est proprios asseclas ad « gnosim » perducere, qua sola Esse Divinum attingi et contradictio, quae inter fidem et scientiam est, superari potet. Huiusmodi vero « gnoseos », (quae — licet auctor hoc vocabulo non utatur — « anthropophisia » denominari potest), principale dogma est pantheismus. « Gnosis » est « ars regia » qua homo cognitionem acquirit identitatis inter proprium esse et esse divinum. Secta missonica tollerantiam propugnat ad rem dogmaticam quod attinet, cum nulla religiosa societas sit, ne Ecclesia Catholica quidem, quae totam possideat veritatem... In omnibus quidem religionibus vestigia adsunt cognitionis religiosae naturalis, tamen vera scientia est tantum « gnosis »; aliae cognitiones nihil aliud efficere possunt quam praeparare ad veram scientiam, i. e. ad « gnosim ». Sectae massonicae adhaerenti, etiam catholico, propria religio et proprius cultus viam parant ad « gnosticam » divinitatis intuitionem.

Praeter pantheismum, multa alia erronea principia in libro exponuntur, ut principium omnes religiones esse aequales, principium sincretismi in rebus fidei, principium laicismi, etc., quae omnia acceptari nullatenus possunt a vero catholico.

Libri igitur prohibitione omnes catholici auctoritative muniuntur contra falsos rumores hinc inde quandoque exeuntes, posse scil. catholicos absque ullo scrupulo sectae massonicae adhaerere et non amplius canonicas vigere sanctiones.

C. M.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECLARATIO

DE MISSIONARIORUM EMIGRANTIUM OFFICIIS

Ad praecavenda dubia circa Missionariorum emigrantium officia, de quibus in Cap. IV Constitutionis Apostolicae *Exsul Familia*, atque ad uniformem instituendam agendi rationem, Sacra Congregatio Consistorialis

Declarat

I — *Quoad administrationem Sacramenti Confirmationis*:

Missionariis emigrantium quibus, ad normam Constitutionis Apostolicae *Exsul Familia* nn. 34-40, curam animarum in propria dioecesi locorum Ordinarii commiserint, competit potestas administrandi subditis, in articulo mortis constitutis, Sacramentum Confirmationis ad normam Decreti Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum « Spiritus Sancti munera » diei 14 Septembris 1946 (*A.A.S.*, XXXVIII, pag. 349).

Ss.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII hanc declarationem ratam habere dignatus est *in Audientia* diei 31 Augusti 1953.

II — *Quoad adsistentiam matrimoniis*:

a) Ad normam Constitutionis Apostolicae *Exsul Familia*, n. 39, Missionarius emigrantium, cui cura animarum concredita est, servatis ceteris de iure servandis, intra fines territorii sibi praestituti, valide assistit matrimoniis quorum alteruter nupturientium sibi sit subditus.

b) Ad liceitatem quod attinet, servetur praescriptum canonis C. I. C. 1097, § 2, iuxta quem « in quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset ».

c) De investigationibus super statu nupturientium religiose servetur Instructio Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum « De normis a parocho servandis in peragendis... » edita die 29 Iunii 1941, praesertim praescriptum nn. 4 et 10 (*A.A.S.*, XXXIII, pag. 297-307).

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 7 Octobris 1953.

+ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis* L. + S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

(*A.A.S.*, vol. 45, pag. 758-759).

ADNOTATIONES

Apostolica Constitutione « Exsul Familia » de emigrantium spirituali cura promulgata, dubium a quibusdam fuit propositum, an sustineri possit missionario emigrantium, cui ab Ordinario loci commissa est cura animarum, ipso iure ad normam Decreti « Spiritus Sancti Munera » (A.A.S., XXXVIII, pp. 349-354) competere facultatem sacramentum Confirmationis conferendi suis fidelibus, in casibus et sub conditionibus in eodem Decreto commemoratis.

Quo aptius dubio detur responsum, considerare apprime oportet, an ea omnia in casu habeantur, quae in presbytero relatum Decretum exquirit.

« Ex generali Apostolicae Sedis indulto — ait Decretum — tamquam ministris extraordinariis (can. 782 § 2 C.I.C.) facultas tribuitur conferendi sacramentum Confirmationis... sequentibus presbyteris, iisdemque dumtaxat:

a) parochis proprio territorio gaudentibus, exclusis igitur parochis personalibus vel familiaribus, nisi et ipsi proprio, licet cumulativo, fruantur territorio ». Equidem facultate Confirmationem conferendi excluduntur parochi personales vel familiares, *nisi et ipsi proprio*, *licet cumulativo*, *fruantur territorio*.

Parochis vero personalibus vel familiaribus solent aequiparari parochi pro diversitate sermonis seu nationis constituti, de quibus videas can. 216 § 4 C.I.C., necnon, vi Constitutionis Apostolicae « Exsul Familia », tit. altero, art. 35, § 1, missionarii emigrantium, quibus ab Ordinarii locorum cura animarum concredita est.

Istis autem, ut scite perspicias, utrum vi eiusdem Decreti iure

competat facultas Confirmationem suis fidelibus conferendi an non, perpendas oportet, num praeter iurisdictionem personalem, de qua in art. 36 Apostolicae Constitutionis, etiam territoriali perfruantur, etsi cum parocho loci cumulativa, prouti habetur in § 2 eiusdem art. 36, potiusquam missionarii ipsius exclusiva.

Norunt omnes parochorum familiarium, personalium et pro diversitate sermonis seu nationis iurisdictionem in fideles exerceri posse, ubicumque domicilium vel quasi-domicilium ipsi sortiuntur: ita ut habeantur propriae et distinctae paroeciae cum proprio animarum rectore, cuius competentia ratione personarum determinatur. Huiusmodi sunt paroeciae familiares seu gentiliciae, personales et nationales: illae pro personis constitutae ad certam familiam, istae pro personis ad certum ordinem, vg. ad militiam, pertinentibus, hae autem pro personis cuiusdam sermonis seu nationis in eadem civitate vel territorio degentibus.

Quae paroeciae statutis finibus minime sunt interdum circumscriptae, interdum vero peculiari territorio, cui iam praeest parochus proprius, definitae extant: simpliciter personalis est in priori casu iurisdictio, nullo territorio angustata, personas afficiens ubicumque versantur; territorialis in altero, iuxta generalem in constitutiva Ecclesiae ordinatione normam, cuius vi ordinaria iurisdictio territoriali competentia circumscribitur, personasque afficit tantummodo intra fines illius territorii.

Neque praetereundum iurisdictionem aliam esse exclusivam vel privativam, uni nempe familiari parocho reservatam, aliam autem cumulativam cum parocho loci, ita sane ut utrique parocho personali (vg. militum cappellano) vel nationali et loci se censeant fideles obnovios.

Ubi ergo emigrantium missionarii iurisdictione perfruantur non tantum personali sed etiam territoriali etsi cum parocho loci cumulativa, quod in praesenti casu ad normam praedicti art. 36 § 2 habetur, eiusdem Decreti vi ipsoque iure pollent facultate Confirmationem suis subditis conferendi: secus vero facultas, cum iure non competat, Apostolico Indulto esset impetranda.

Ad quaestionem clare dirimendam haec quae sequuntur meminisse iuvabit: Sacra Congregatio Consistorialis erigendi « missionem cum cura animarum » pro diversitate sermonis seu nationis licentiam ad normam art. 34 Constitutionis Apostolicae « Exsul Familia » Ordinariis concedens, clausulam adponere solet: « presse circumscriptis eiusdem missionis finibus ». Quibus ex verbis licet procul dubio concludere, missionarium emigrantium, cui legitime est concredita missio cum cura animarum, frui proprio licet cumulativo territorio.

Proposito igitur dubio liquet adfirmativam esse dandam responsionem, quam insuper Summus Pontifex ratam habere atque publici iuris fieri mandare dignatus est, prout in « Declaratione » diei 7 octobris 1953 edicitur.

* * *

Alterum item Sacrae Consistoriali Congregationi propositum est dubium: quid, nempe, censeri debeat de facultate adsistendi matrimonii celebrationi, ad normam artt. 34, 35, 36, Const. Apost. « Exsul Familia », in subditos eiusdem sermonis seu nationis praedicto « missionario » concessa.

Nonnulla ad respondendum considerentur oportet.

Decretum « Ne temere » die 2 augusti 1907 a Sacra Congregatione Concilii editum, fere ex integro in Codicem Iuris Canonici relatum (can. 1094, ss.), canonicam formam pro matrimonii celebratione omnino immutavit. Cum enim ratio domicilii vel quasi-domicilii nupturientium vigere cessasset, parochus et loci Ordinarius intra fines dumtaxat sui territorii valide adsistunt matrimoniis christifidelium, sive ratione domicilii vel quasi-domicilii sint suae iurisdictioni obnoxii, sive non: « Intra fines dumtaxat sui territorii; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt » (can. 1095, § 1, 2°). Quae procul dubio applicari valent etiam missionario emigrantium, intra fines territorii sibi praestituti animarum curam gerenti, vi generalis rationis edictae verbis, quibus legislatoris mens in edenda Constitutione Apostolica « Exsul Familia » haud obscure aperitur.

Postquam enim est significatum, pluries Summo Pontifici esse porrectas preces « ut nova ratio agendi ediceretur, quo aptius spiritualis alienigenarum cura in *dioecesano moderamine* ordinaretur », insequentia adduntur: « Haec postulata *cum sententia Nostra plane conveniunt:* ardenter enim exoptabamus opportunam nancisci occasionem, qua Nobis tandem liceret unumquemlibet loci *Ordinarium* aptis *instruere normis, a legibus Codicis Iuris Canonici non discrepantibus, sed earumdem menti atque consuetudini apprime respondentibus* ». (A.A.S., XLIV, p. 692). His motus Legislator opportunas dare intendit facultates, ut quilibet Ordinarius alienigenis sive advenis sive peregrinis spiritualem posset praebere adsistentiam necessitatibus haud imparem nec minorem, qua ceteri fideles in sua dioecesi perfruuntur.

Potestas igitur in personas emigrantium eorumque matrimoniis adsistendi, quam Apostolica Constitutio (art. 39) emigrantium missionariis concedit, eadem innititur ratione — nempe territoriali —

iisdemque generalibus normis fulcitur, quibus ad tramitem iuris communis innititur et fulcitur potestas parochorum proprie dictorum, congrua tamen congruis referendo.

Colligere igitur ex hucusque dictis licet, emigrantium missionarium, dumtaxat intra fines territorii ab Ordinario loci sibi praestituti, valide matrimoniorum celebrationi assistere.

Congrua, diximus, et verba urgemus, congruis referendo. Expostulanti enim an omnes fideles, nullo facto discrimine, nuptias inituri coram missionario sistere valeant, pronum est respondere eos tantum posse, qui ratione sermonis seu nationis missionario sint obnoxii.

Apostolica enim Constitutio « Exsul Familia » his apertis utitur verbis, omnem dubitationem prorsus removentibus: « Unusquisque alienigena, sive advena sive peregrinus, plena potitur facultate adeundi, sacramentorum causa, matrimonio non excepto, missionarium emigrantium sui sermonis aut parochum loci » (art. 39).

Recolas nunc can. 91 C.I.C.: « Persona dicitur... *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet ». Emigrantes igitur, quamvis neque domicilium neque quasi-domicilium in territorio emigrantium missionario demandato obtineant, missionarium sui sermonis seu nationis sacramenta suscipiendi causa, matrimonio non excepto, eodem modo ac parochum loci adire valent; et sive parochus sive missionarius sacramenta potest administrare emigrantibus, cum ipsorum potestas sit cumulativa. Quibus insuper addendum: « Advenarum seu peregrinorum nomine, ad effectum de quo agitur, veniunt: 1° omnes alienigenae — non exceptis iis qui ex coloniis migrarunt — per quodcumque temporis spatium, quavis de causa, studiorum quoque, in alieno territorio versantes » (ibidem art. 40). Quibus in verbis, ut patet, nulla amplius de domicilii vel quasi-domicilii habetur mentio, dum pro alterutro acquirendo, ad normam can. 92 C.I.C., commoratio cum animo coniuncta ibi perpetuo vel ad maiorem anni partem manendi vel ad decennium completum aut reapse ad maiorem anni partem producta requiritur.

Nullum ergo extat dubium quin emigrantium missionarius, cui animarum cura est concredita aequo iure cum parocho loci (art. 36, § 2), matrimonium fidelium suae linguae seu nationis possit adsitere, intra fines dumtaxat territorii sibi concrediti; sive nuptu-rientes ratione domicilii vel quasi-domicilii parochi loci iurisdictioni sint obnoxii, sive non sint obnoxii, quia nec domicilio nec quasi-domicilio in paroecia perfruentes.

Sustinetur igitur matrimonii validitas, licet alter tantum nup-

turientium ratione sermonis seu nationis, sit subditus missionario, firmo tamen quoad liceitatem praescripto can. 1097, § 2: « In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset ».

Quibus declaratis, Sacra Consistorialis Congregatio bono sacramenti cavere studuit « missionarios » quorum interest monens ut cautelas, quas tanta in re vigens disciplina statuit, religiose servent, recogitare suadens Instructionem a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum « De normis a parocho servandis in peragendis canonicis investigationibus antequam nupturientes ad matrimonium admittat » (can. 1020), die 29 mensis iunii, anno 1941 editam (A.A.S., XXXIII, pp. 297-307). Potissimum autem animadvertantur oportet, quae sint prae primis adnotanda circa elementa inquisitionis (n. 4) et quae sacerdos probe addiscere oporteat, antequam matrimoniis assistat, ne ob non servatam canonicam formam connubiorum validitas labefactetur (n. 10).

Iosephus Ferretto

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Francisco Brennan, *Ponente.*

Nullitatis Matrimonii

SENTENTIA DEFINITIVA

SPECIES FACTI

Domina Camilla, peculiari fervore « tribunos bellicae classis » semper visa est coluisse propositumque fovisse nonnisi cum tribuno in matrimonium convolare.

Mense novembri... autem Camilla amicalem nexuit conversationem cum quodam Roberto N., qui vigesimum quintum annum agebat, Camilla vero vigesimum septimum. Amicitia paullatim amor evasit; brevi interiecto lapsu Robertus Camillae declaravit se illam in uxorem optare; infelici tamen exitu; puella enim eum respuit ob carentiam tantopere requisitae qualitatis, scilicet tribuni bellicae classis.

Robertus amore adustus, per fraudem ac dolum puellam circuivit donec ipsa, documentis ac vestibus militaribus decepta, sponsalia non respuit. Camilla informationes sedulo quaerere curavit per privatam societatem investigationibus addictam; notitiae tamen deceptionem Roberti infringere non valuerunt, eo quod callidus vir suam veram aetatem tegerat: (aetas enim a Roberto indicata erat aetas consobrini ipsius, revera tribuni, nobilis et timorati, cui idem erat nomen, eadem urbs natalis).

Interim mense julio 1940 quidam vir Camillam in uxorem appetiit, tamen repulsus ab ea fuit eo quod « aveva sempre avuto il desiderio di sposare un ufficiale di Marina, e che avendo trovato appunto in Roberto quanto rispondeva al suo desiderio, si era decisa per lui ». Matrimonium celebratum fuit die 17 augusti 1940 in ecclesia principali Udinensi.

Fraus ac dolus Roberti tamen diu latere non potuerunt. Nam tribus transactis mensibus a matrimonio celebrato, in Urbe Barensi quo coniuges sese contulerunt, vir plurium dein criminum accusatus, inter quae titulum tribuni falso usurpasse necnon vestem militarem et insignia abusive induisse, in vinculis coniectus est. Mulier, deterrima viri deceptione comperta, coniugale dereliquit tectum, et media quaesivit ad libertatem recuperandam. Penes Tribunal X. suum matrimonium nullitatis accusavit duplici ex capite:

1) Erroris qualitatis nempe redundantis in errorem personae; 2) conditionis consensui appositae. Tribunal Regionale X. vero placitis actricis per sententiam diei 21 octobris 1944 non annuit. Interposita autem appellatione et suppletiva instructoria confecta, Tribunal secundae instantiae praecedentem sententiam, die 23 octobris 1947, reformavit. Defensor vinculi dein ad Nostrum sacrum Ordinem rite appellavit, et eo instante novum instructoriae supplementum peractum est. Nunc autem causa definienda venit sub dubitandi concordata formula: An constet de matrimonii nullitate in casu.

In jure. *Ad erroris caput quod attinet.*

2) Ad normam can. 1083, par. 1, « Error circa personam invalidum reddit matrimonium ». Si error sit non directe in personam sed eiusdem personae qualitatem respiciat, contractus matrimonialis per se non irritatur nisi: « ... error qualitatis redundet in errorem personae » vel « ... persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta » (can. 1083, par. 2 nn. 1 et 2).

Sepositis nunc quae ad praesentem causam non pertinent, nostra intersunt principia juris et jurisprudentiae circa errorem qualitatis in errorem personae redundantis.

Qui errat circa qualitatem dicitur errare circa personam, seu error qualitatis redundat in errorem personae, si qualitas est medium unicum ad personam, ceteroquin ignotam, determinandam. Si qualitas deficit, corruit vis contractus. Duo igitur requiruntur: a) persona alterius alteri sit ignota; b) medium personam physicam incognitam dignoscendi et determinandi sit qualitas eidem propria, quatenus persona physica tantummodo sub tali qualitate vel denominatione cognoscatur.

Cl.mus Patronus actricis aliud invocat principium edicens errorem qualitas pariter redundare in errorem personae, si pars contrahendo cum persona sibi *plane cognita* principaliter et directe non intenderit ipsam personam sed qualitatem eiusdem peculiarem eaque defecerit.

Id tamen pacificum non est nec in doctrina nec in iurisprudentia. Favere videntur thesi invocatae a Patrono binae decisiones rotales: coram Mori diei 30 nov. 1910 (S. R. R. Dec. vol. 2, p. 337 sq.) et coram Heard diei 21 iunii 1941 (S. R. R. Dec. vol. 33, p. 529 sq.); quae referunt regulam quam tradit S. Alphonsus (Theol. Mor., lib. IV, n. 1013), errorem qualitatis irritare matrimonium vel quando qualitas deducta est in conditionem vel quando consensus directe et principaliter latus fuit in determinatam qualitatem.

3. - Inepte invocatur decisio coram Perathoner, diei 2 ian. 1913, ubi legitur: « Jamvero error in qualitate quae in personam redundat, adest quando erratur in tali qualitate, ob cuius defectum persona oblata non amplius eadem persona est in cuius matrimonium consentitur. Ad rem Instructio Austriaca, § 14, hanc statuit regulam. « In personam redundat error in ea tantum qualitate, qua soli futuri coniugis persona determinatur ». Sanam doctrinam hac in re tradit Aichner (*Compendium iuris ecclesiastici*, ed. II, p. 605 seq.): « Si quis contrahit cum persona quam prius ex visu, auditu, colloquiis non cognovit, sed tantum ex certa qualitate ipsi proposita, quae *non est communis aliis* sed *individualis* alicuius certae et determinatae personae, tunc error huius qualitatis refunditur in errorem personae et matrimonium dirimit. Ratio est, quia errans, de illa persona quacum contraxit, nullam animo informaverat ideam, nisi ex illa qualitate per quam persona futuri coniugis unice designata animoque apprehensa fuit. Jamvero, quia qualitas ista deest, deest etiam fundamentum cui consensus inniitur, et obiectum substantiale consensus, ideoque deficit ipse consensus. Ex quibus elucet, duo requiri, ut error qualitatis in personam redundet: a) ut persona circa quam erratur, prius ex visu, auditu, colloquiis cognita non fuerit, quod contingit ubi per litteras vel per procuratorem de matrimonio praevie tractatum est, vel ubi matrimonium mediante procuratore contrahitur; b) ut eadem persona tamquam individuum *unice* ex certa quadam qualitate (quae tamen non adest) denotetur, v. g. si quis consentiat contrahere cum filia primogenita comitis N., offeratur autem postea secundogenita aut alia, quae primogenitam se simulat ».

Et Cappello (De matrimonio, ed. 1947, n. 586) « qualitas de qua hic fit sermo respicit... ipsam personam physicam quae cognoscitur sub tali eaque tantum qualitate... quatenus ista qualitas... est ita propria certae dumtaxat personae ut eam specifice determinet et ab aliis omnibus distinguat ».

Ad conditionis caput quod spectat.

4. - Conditio est circumstantia actui adiecta a qua eius valor pendet. In substantiam actus influit conditio actualis vel virtualis, seu quae antequam actus poneretur (temporis mensura non relevat per se) aliquando fuit actualis, nunc autem in sua virtute perseverat, si non revocata. Conditio, e contra, habitualis validitati contractus non obest. Ut probatio conditionis rite concludens eruatur, attente perpendenda sunt verba contrahentis quae conditionem consensui apposuit, tempore non suspecto prolata; dubium circa rem in conditionem deductam; valor quem contrahens tribuit requisitae

qualitati, modus quo idem sese gessit ubi primum in comperto habuit conditionem non esse verificatam.

« Conditio, natura ipsa sua, duo postulat: *unum* propter quod consensus praestatur, et *aliud* propter quod consensus suspenditur, negatur, aut limitatur, nempe *actum* in quem fertur consensus, et *circumstantiam* cui consensus ipse subordinatur. Quamvis, respectu subiecti, matrimonium conditionatum constet unico actu, quo nupturiens dependere vult consensum suum a circumstantia deducta in conditionem, respectu rei duo habentur obiecta, quorum unum praevalet altero: matrimonium cum illa circumstantia quod contrahens vult, et matrimonium sine illa circumstantia quod contrahens non vult. Attendendum proinde utrum haec duo obiecta actu vel virtute in voluntate contrahentis extiterint, et utrum revera *praevaluerit* matrimonium conditionatum, ita ut contractus pependerit a circumstantia in conditionem deducta ». (D. Staffa, De conditione contra matrimonii substantiam, Romae, 1952, notae 9-10).

Concludentissime igitur constare debet: « aliquem suam voluntatem existentiae vel absentiae alicuius qualitatis sic alligasse, ut consensus valor ab illius existentia penderet, quaevis alia voluntas ad effectum valoris contractus non attenditur » (c. Parrillo, N. M. die 2 dec. 1927, S. R. R. D., vol. XIX, dec. LIII, p. 475).

IN FACTO

A - *De capite erroris.*

5. - Coniugium, de quo in casu, nullum esse contenditur duplici invocato capite: erroris qualitatis in errorem personae redundantis, et conditionis de praesenti appositae et non verificatae.

Cum error qualitatis, uti iam dictum est *in iure*, redundet in errorem personae, solummodo si qualitas ita connexa sit personae physicae eique propria ut evadat medium unicum eandem determinans, idque fieri possit si persona est nupturienti incognita, patet causam ex hoc capite quocumque fundamento destitui.

Ex actis enim aperte constat actrici notum fuisse conventum, cum eo solummodo, nempe cum persona physica conventi tractatus matrimoniales habuisse, informationes recepisse favorabiles, licet obiective erratas, consobrinum nullimode novisse, ideoque eum in virum optare non potuisse. Qualitas praeterea tribuni classarii dici nequit propria alicuius personae, ita ut illa mediante eadem persona individuari valeat. Quando actrix nuptias inire constituit, nubere voluit Roberto N., bene cognito et dilecto, qui tribunus classarius censebatur.

B - *De capite conditionis.*

6. - Cum capite erroris etiam caput appositae et non verificatae conditionis, Camilla X. invocavit ad obtinendam declarationem nullitatis coniugii. Acta de hoc altero capite, sufficientem videntur suppeditare probationem. Actricis desiderium et intentio inde ab adolescentia fuit « di sposare un ufficiale di marina da guerra »; immo eadem firmam fovit semper voluntatem non nubendi nisi tribuno classario et respuendi, uti facta reapse ostenderunt, quemlibet illo titulo non gaudentem. Non adest in casu simpliciter nupturiens quae matrimonium init cum persona quam inductam credit quadam enixe optata qualitate, quam in conditionem deduceret si de ipsius existentia dubitaret, sed habetur mulier quae prius respuit determinatum virum utpote exoptata qualitate destitutum, postea in eundem consentit quia qualitate praeditum; demum eum, post nuptias, deserit, quia hac qualitate carentem deprehendit. Duo igitur coram voluntate mulieris habita sunt: vir illa conditione destitutus, quem ipsa reiecit; dein vir eadem conditione praeditus, quem ipsa acceptat.

Patet ergo ex circumstantia illa consensum in casu revera pependisse, et conditionem praevaluisse contractu.

Sicut alios viros, qui eam in uxorem petierant, ita et Robertum reiecit Camilla ob unam tantum rationem, quia tribunus classarius non erat.

De mulieris firma voluntate non nubendi nisi tribuno classario, deque recusatione virorum hac qualitate destitutorum, luculenter constat ex actis. Affirmat actrix: « Ho sempre detto al Roberto che non avrei sposato se non un ufficiale di Marina ». Mater eius deponit: « Mia figlia pose come condizione precedentemente al matrimonio, che lo sposava se era un ufficiale di marina. Era una passione che manifestò fin da bambina; essa rifiutò di sposare il B. ed anche un altro perchè non erano ufficiali di marina ». Quod confirmat testis B.: « Nel luglio ancora dell'anno scorso (1940), da un comune amico seppi che la Camilla X era in trattative di matrimonio col Roberto N. Io, che invero nutrivo speranza di sposarla... le telegrafai chiedendo notizie in proposito, e poi il giorno dopo mi recai a Bologna per parlarle. Essa mi disse che era spiacente di non poter assecondare le mie intenzioni perchè aveva sempre avuto il desiderio di sposare un ufficiale di marina, e che avendo trovato appunto nel Roberto quanto rispondeva al suo desiderio, si era decisa per lui ». F. di P. testatur neptem semper dixisse sponso: « che avrebbe sposato soltanto un ufficiale di marina, e che questo era per lei una condizione essenziale per

il matrimonio ». Idem testis refert Camillam repulisse primam petitionem Roberti hac una de causa quia non erat tribunus classarius: « Quando venne a casa in maggio, mia nipote mi disse che aveva rifiutato la proposta di matrimonio del Roberto, appunto perchè non era ufficiale di marina, e aggiunse: — Se fosse ufficiale di marina, io lo sposerei, perchè come tipo di uomo mi va ». Quod enarrant et M. de P. R. F. A. B.

7.- Licet actrix, a iudice excussa, verbum conditionis non adhibuerit, patet tamen e tabulis processus eam adeo alligasse consensum qualitati exoptatae, ut absque dubio dicenda sit matrimonium vere conditionatum iniisse. Ab hac autem conditione recessisse nullibi probatur (et factum cum sit, probata conditione, probandus esset recessus), immo quando e falsis documentis eidem a Roberto exhibitis, certitudinem Camilla adquisivit virum praeditum esse revera qualitate tribuni classis, ipsa in oblatas nuptias consensit, declaravit tamen: « Vedi! io ti accetto perchè tutte le tue qualità, *anche* quella che sei ufficiale di Marina, corrispondono ai miei desideri, altrimenti non ti avrei accettato ». Quod explicat in novissima depositione: « la parola '*anche*' nel mio pensiero aveva il significato che il Roberto avesse appunto la qualità che in lui richiedeva per poterlo sposare. Non era una semplice aggiunta di qualità, ma la qualità principale che io richiedevo in chi dovevo sposare, *poichè altrimenti non l'avrei sposato, come avevo rifiutato altri pretendenti di non minori qualità* ».

8. - Conditionem seu circumstantiam adiectam consensui defecisse ex universis actis probatur: numquam etenim Robertus consecutus fuerat gradum tribunatus, sed illum simulavit, quia tantum hoc modo ducere poterat Camillam prout ipsemet confessus est. Testatur R. G., qui in vincula coniecerat virum: « Ricordo che all'atto dell'arresto ... la signora uscì in questa espressione: 'Come mi hai ingannata mentre sapevi che io ti sposavo perchè eri ufficiale di Marina?' Egli le chiese perdono dicendole che aveva fatto apposta per raggiungere il suo scopo di sposarla ». Id confirmatur documento confecto a publici ordinis tutoribus: « La moglie del Roberto N., che ignorava ogni cosa (seu conventum non esse tribunum classis) nel sentire ciò, rimase assai turbata e finì per piangere esclamando che era stata ingannata, e condotta in seri guai, poichè sapeva di aver sposato in data 7 agosto u. s. nella chiesa di San Giuseppe un vero ufficiale della Marina ».

9. - Sedulo inspiciendum est qualiter se gesserit contrahens quando deprehendit conditionem adiectam non esse purificatam. In casu Camilla fraude detecta, virum deseruit, nec amplius ad eum reversa est, immo de causa nullitatis instituenda mox inquisivit:

« La signora Camilla X — deponit soror viri — subito dopo l'arresto di Roberto ha cominciato a parlare di annullamento ». Ratio autem desertionis domus coniugalis una fuit, defectus nempe conditionis « in precedenza — ait actrix — io sapevo degli assegni a vuoto, e non l'ho abbandonato, ma ho pagato tutti i suoi debiti: solo ho pensato di chiedere l'annullamento quando ho saputo che non era ufficiale di Marina ».

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, edicimus, statuimus et definitive sententiamus: Constare de nullitate matrimonii in casu, proposito dubio respondentes: AFFIRMATIVE.

Judiciales expensas ab actrice solvendas esse decernimus.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 9 dec. 1952.

(sign.) FRANCISCUS BRENNAN - *Ponens*
DINUS STAFFA
JOSEPHUS PASQUAZI
E. Fiore - Notarius

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

CONVALIDATIO MATRIMONII MIXTI CUIUS PARS CATHOLICA NON TENETUR SERVARE FORMAM CANONICAM.

Sergius, anno 1922 natus ex duobus acatholicis nullam profitentibus religionem parvulus in gravissimo mortis periculo in clinica catholica a cappellano, insciis parentibus, baptizatus est. Quod nemo sperare audebat, contigit: puer sanatus e clinica dimittitur. Adolescit absque ulla religione. Viginti et unum annos habens, anno scilicet 1943 civiliter contrahit cum Mirella, baptizata in secta veterum-catholicorum, qui etiam Jansenistae vocantur. Mirella tamen, anno 1920 nata, iam anno 1940 coram magistratu civili matrimonium iniverat cum Livio lutherano baptizato. Sed hoc matrimonium, infelix, ob adulterium a Livio saepe perpetratum, civili sententia divortii erat solutum, anno 1942. Livius postea, anno scilicet 1947, mense Augusti, infortunio automobilistico, e vita discedit. In fine huius anni 1947 Sergius, gravi morbo affectus, in eadem clinica catholica curatur ibique casu audit se in primo suae vitae anno esse baptizatum. Notitia commotus, Sergius cum cappellano, quorum amicitiam contraxit cura perdurante, loqui coepit de religione catholica. Sanatus discedens, mense Januarii 1948, ait cappellano: sentio desiderium amplectendi fidem catholicam; studio et lectura melius cognoscere curabo doctrinam et etiam hac de re loquar cum uxore mea; deinde redeam ut iterum recipiam baptismum et sic conscienter recipiar in Ecclesiam Catholicam. Cappellanus pro momento tacet de baptismate non reiterando, sed die sequenti adit parochum paroeciae in qua Sergius domicilium habet eique rem exponit. Hic blande recipit Sergium eumque instructionibus adiuvat in addiscenda doctrina catholica. Interim autem deliberat de statu iuridico Sergii, relate praecipue ad matrimonium et de agendis in casu.

1. Certum est Sergium, saltem tempore quo celebravit matrimonium cum Mirella, non fuisse obligatum ad formam canonicam servandam, de qua agunt canones 1094-1096, quia ipse, etsi baptibatus in Ecclesia Catholica, est ab acatholicis natus et ab infantili aetate adolevit absque ulla religione. Et agitur de matrimonio celebrato anno 1943, i. e. tempore quo exceptio canone 1099 § 2 statuta non adhuc erat revocata seu ante 1 Jan. 1949 [1]. Nec ad applicandam exceptionem Sergio requiritur ut parentes ipsius fuerint

[1] Vide Vlaming-Bender. Praelectiones Iuris Matrimonii, p. 435 nota 2.

legitimo matrimonio coniuncti; sufficit ut sint acatholici [2]. Quapropter matrimonium Sergii et Mirellae non est invalidum ex capite defectus formae, cum neque Mirella, utpote extra Ecclesiam catholicam baptizata et numquam ed eam conversa, ad hanc tenetur formam servandam.

2. Attamen, matrimonium invalidum est propter impedimentum iuris naturalis, scilicet impedimentum ligaminis. Sententia enim divortii civilis non solvit ipsum vinculum matrimonii semel valide contracti, cum matrimoinum sit indissolubile, iure divino tam naturali quam positivo. Neque momento quo Livius e vita discessit et ideo cessavit impedimentum vinculi, matrimonium est ipso facto convalidatum. Cum enim Mirella sit baptizata, tenetur legibus ecclesiasticis. Ad illas solummodo leges ipsa tamquam non catholica non tenetur, quae solis catholicis baptizatis imponuntur. Leges autem de matrimonii convalidatione non sunt leges, quae solummodo loquuntur de catholicis, sicut faciunt leges de forma matrimonii et de impedimento disparitatis cultus (can. 1099; can. 1070). Propter hoc matrimonii Mirellae convalidatio regitur canonibus 1133-1137, ubi statuitur: « ad convalidadum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens requiritur ut cesset... impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia; haec autem renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem...; renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse » (can. 1133-1134). Nulli autem dubio obnoxium est coniugum neutrum renovasse consensum; nam reputant matrimonium suum esse validum. Quapropter Sergius et Mirella vivunt in matrimonio invalido, etsi putativo.

3. Cupiens invenire viam ad expeditius convalidandum matrimonium et faciliorem reddendum Sergio reditum ad Ecclesiam, parochus sibi quaerit: an nunc et usque ad quod momentum Sergius remaneat liber ab obligatione servandi formam canonicam. Quamdiu enim Sergius non tenetur ad servandam formam, convalidatio fieri posse videtur absque forma canonica. Primo momento parochus cogitat de possibilitate certiorem reddendi Sergium solum de invaliditate matrimonii, ut ipse solus renovet consensum. Sed inspecto canone 1135 § 1 concludit hoc fieri non posse. Nam agitur de invaliditate ob impedimentum *publicum* (impedimentum vinculi). Quapropter requiritur ut utraque pars consensum renovet. Et hoc praeceptum valere pro hoc casu in dubium vocare nemo potest. Verba autem in fine huius paragraphi; « forma iure praescripta », non videntur va-

[2] Vide articulum nostrum in « Angelicum », 1954, fasc. I.

lere pro casu, in quo neutra pars tenetur ad formam canonicam servandam [3]. Cum autem convalidatio tam ratione Mirellae tum ratione Sergii (uterque est baptizatus) regatur canone 1135 § 1 et admitti debere videatur personas, quae non tenentur ad formam in *celebratione* matrimonii, etiam non teneri ad formam hanc in *convalidatione*, oritur quaestio ad quid tunc teneantur vi huius canonis? Tenentur ad renovationem consensus ex utraque parte praestandam. Haec enim est res omnino distincta a renovatione *in forma iure praescripta*. Ad quaestionem autem utrum teneantur ad aliquid amplius, notatim ad renovandum consensum *publice* seu sic ut renovatio probari possit in foro externo (coram duobus testibus), respondendum videtur: negative. Nam sicut in celebratione matrimonii manifestare consensum sic ut actus probari possit in foro externo pertinet ad formam iuridicam praescriptam, ita renovatio consensus modo publico in convalidatione pertinet ad formam iure praescriptam. Ad hanc formam acatholici non tenentur. Quare ad validitatem convalidationis matrimonii eorum, quorum neuter tenetur ad formam canonicam servandam, nihil aliud requiritur quam renovatio consensus ab utraque parte praestandus conscia de nullitate [3].

Obiiciet forsitan quis bonum societatis exigere ut convalidatio matrimonii invalidi ob impedimentum *publicum*, publice fiat, i. e. sic ut actus probari possit in foro externo. Ergo etiam si partes non tenentur ad formam servandam, convalidatio saltem fieri debet publice, puta coram duobus testibus.

Ad hoc autem respondendum videtur quod absque ullo dubio ad bonum societatis magnopere conducit ut convalidationes matrimoniorum invalidorum ob impedimentum publicum publice fiant; eodem modo quo bonum societatis exigit ut matrimonia publice celebrentur et non occulte seu clandestine. Attamen sicut hoc non secum fert ut canones statuant de *omnibus* matrimoniis, ut tunc tantum valida sint si publice celebrentur, (reapse enim baptizati de quibus in canone 1099 § 2 etiam occulte seu clandestine contrahere possunt valide), ita hoc etiam non secumfert ut convalidatio sit *semper* invalida nisi sit publice facta. Non omnia enim quae ad bonum commune conducunt sunt iure vigente statuta. Ad hoc requiritur ut condatur lex. Canones autem propter alias rationes, etiam bonum societatis respicientes, id quod per se est utile pro bono communi, aliquando non reddunt ius vigens. Ex canonibus 1135 et 1099 § 2 simul

---

[3] Cum convalidatio fiat decursu anni 1948 seu ante revocationem exceptionis in fine can. 1099 § 2 statutae, etiam momento convalidationis partes non tenentur ad formam servandam.

sumptis sequi videtur quod ii, de quibus in canone 1099 § 2, exempti sunt ab obligatione servandi formam non tantum in celebratione, sed etiam in convalidatione matrimonii.

Sequitur quod, si Sergius et Mirella post mortem Livii, certiores redditi de nullitate matrimonii (puta quia Mirella a suo pastore jansenistico hoc audierat) privatim renovassent consensum, matrimonium fuisset vere convalidatum ideoque abhinc validum.

Hac ratiocinatione autem sola quaestio de validitate est soluta. De liceitate adhuc dubitari potest movendo quaestionem: utrum ex hoc quod canones aliquas personas declarent liberas ab obligatione servandi formam canonicam, sequatur istas personas etiam licite posse privatim seu clandestine celebrare matrimonium [4]. Ratio dubitandi est, quia per longissimum tempus, scilicet ante promulgationem celebris capitis « Tametsi » a Concilio Tridentino (1563) nulla habebatur lex statuens formam requisitam ad validitatem et tamen matrimonia sic dicta clandestina seu privatim inita erant illicita [5]. Inquirendum igitur est utrum etiam hodie illicite agant ii qui sunt exempti a lege de forma, si privatim seu clandestine contrahant [6].

Fallere videtur haec argumentatio: ante Concilium Tridentinum defuit lex ad validitatem praescribens formam iuridicam et tamen matrimonia clandestine seu privatim celebrata erant prohibita; atqui: hodie ii, qui etsi baptizati iure excipiuntur a lege de forma canonica servanda versantur in iisdem conditionibus ac omnes baptizati ante Concilium Tridentinum. Ergo ipsi habent hodie obligationem celebrandi saltem publice, i. e. sic ut matrimonium in foro externo probari possit, sane non ad validitatem sed ad liceitatem. Hoc argumentum non habet vim probandi. Nam status rerum ante et post Concilium Tridentinum seu promulgationem Capitis « Tametsi » est omnino diversus, proprie sub aspectu iuris circa modum celebrandi matrimonium. Ius ante-tridentinum in hac re

---

[4] Quaestio natura sua respicit personas baptizatas. Nam non-baptizati non reguntur legibus ecclesiasticis, et hoc ex institutione divina quam referunt canones 12, 87 et alii. Propterea etiam in re matrimoniali non-baptizati reguntur iure civili, quod saepe praescribit propriam formam celebrandi requisitam ad validitatem.

[5] « Sancta Dei Ecclesia clandestina matrimonia ex iustissimis causis semper detestata est atque prohibuit ». Ita Conc. Trid. Sess. 24 a 1.

[6] Res saepe non habet momentum practicum, quia huiusmodi personae non cognoscunt obligationem. Sed in aliquibus casibus, sicut in casu Sergii, res habet momentum practicum. Nam parocho et aliis, qui in re immiscentur, non licet cooperare cum actu malo alterius; et certo non possunt aliquem inducere ad actum quem sciunt esse peccatum. Vide: L. Bender. Ius Publicum Ecclesiasticum, p. 85.

conditum erat pro coetu fidelium seu baptizatorum, qui *omnes* reputabantur catholici et admittentes leges ecclesiasticas tamquam normas ipsos obligantes. Schismatici orientales eandem habebant disciplinam in hac re et haeretici erant pauci et numquam constituebant coetum, pro quo legislator ecclesiasticus speciales condebat leges, quae statuebant exceptiones in eorum favorem .Quapropter ante « Tametsi » legislatio erat simplex: nulla forma ad validitatem praescripta; una sola lex prohibens fidelibus celebrare matrimonia clandestine seu privatim. Etsi nemo teneretur lege de forma servanda ad validitatem, tamen nemo habebatur qui erat aliqua lege speciali exemptus a lege de forma servanda. Quapropter catholici ante Concilium Tridentinum sub aspectu iuridico non sunt in omnibus aequales acatholicis baptizatis de quibus agit canon 1099 § 2 [8].

Hodie, specialiter inde a Decreto « Ne temere » a cuius iure paululum tantum discrepat ius Codicis, habetur coetus notabilis baptizatorum, qui legis dispositione positiva ab obligatione servandi formam expresse excipiuntur. Post *omnes* canones de forma servanda, etiam quoad requisita ad licite celebrandum (can. 1097; 1098, n. 2), Codex canone 1099 statuit: « ad statutam superius formam servandam tenentur 1°, 2°, 3°.... »: deinde: « acatholici nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam ». Textus in hoc loco seu in contextu cum canonibus praecedentibus, ad quos explicite refert, non potest alio modo intelligi nisi de *tota* forma canonica, i. e. tam quoad *validitatem* tam quoad *liceitatem* praescripta. Propterea dicendum videtur personas in canone 1099 § 2 designatas non teneri ad aliquem determinatum modum manifestandi consensum matrimonialem, ne ad liceitatem quidem, a. v. si isti contrahant occulte seu privatim, actus celebrationis est nulli legi contrarius seu est actus obiective licitus. Quod autem hic dicitur de celebratione, etiam valet de convalidatione matrimonii. Sergius igitur et Mirella non ponunt actum legibus prohibitum, si privatim et occulte renovent consensum et sic convalident matrimonium.

Art. 6. - 1.° Auditores libere eliguntur a Romano oPntifice, perspecto indice candidatorum, quos conventus Metropolitanorum, collatis ocnsiliis cum suis Suffraganeis, idoneos iudicaverit.

2.° Praeses conventus Metropolitanorum indicem et Nuntio Apostolico et Status Moderatori simul mittet, ut hic, si quas habeat politicas generalioris ordinis difficultates adversus quempiam candidatorum, exponere queat. Cum vero Nuntius Apostolicus Gubernii responsionem acceperit aut cum, triginta diebus ab misso indice praeteritis, nulla ei responsio significata sit, indicem Apostolicae Sedi transferendum curabit.

3.° Auditoris nominatio a Summo Pontifice facta Hispania Moderatori significabitur, qui, eadem nominationis die, decretum feret quo novus Auditor uti tSatus magistratus agnoscitur eique propria tribuuntur civilia iura.

4.° Nominatio eodem tempore promulgabitur ab Apostolica Sede et ab Hispanico Gubernio.

Art. 7. - Auditores sunt praelati domestici Sanctitatis Suae, eisque competunt omnia iura et privilegia huius gradus propria.

Art. 8. - Sunt praeterea Nuntio Apostolico adiuvando Auditor-Adsessor atque Abbreviator, qui eidem praesto erunt prout ipsi opus fuerit. Hi duo Officiales, civitate Hispani, libere ab Apostolica Sede deligentur iidemque iuribus ac officiis fungentur quae hactenus exercuerunt.

Art. 9. - Sunt quoque in Rota Promotor iustitiae pro tuendo bno publico et Defensor vinculi matrimonii et sacrae ordinationis; eisque dari possunt substituti, qui, sub eorum ductu, bonum publicum vel sacrum vinculum tueantur.

Art. 10. - Promotor iustitiae et Defensor vinculi, eorumque substituti, oportet sint sacerdotes, civitate hispanica gaudentes, laurea saltem in iure canonico insigniti, maturae aetatis, bonis morimoribus, prudentia ac iuris peritia praestantes.

Art. 11. - Promotor iustitiae et vinculi eDfensor, nec non eorum substituti, eliguntur a Summo Pontifice, prae oculis habito indice candidatorum quem conventus Metropolitanorum, collatis consiliis cum Suffraganeis, per Nuntium Apostolicum exhibuerit.

Art. 12. - Ad conficienda et custodienda acta iudicialia sunt quoque notarii, seu cancellarii, itemque scriptores ad eadem exscribenda; omnes sacerdotio aucti, civitate hispanica gaudentes, et laurea doctorali aut saltem licentia in iure canonico praediti; eisque a Decano committuntur quoque cura archivi et bibliothecae nec non officia arcarii et ratiocinatoris.

Art. 13. - Notarii seu cancellarii et scriptores eliguntur a Nuntio Apostolico, spectato elencho candidatorum a Collegio Rotali exhibito.

Art. 14. - Expedit ut omnes Auditores, officiales et ministri tribunalis consecuti sint diploma advocati rotalis, quo melius cognoscant stilum Sacrae Romanae Rotae et cum illo se conformare studeant.

Art. 15. - Duo laici, hispani, maturae aetatis et probatae vitae, officia cursorum et apparitorum praestant; iidemque in cura atque custodia habent sedem et aulam tribunalis.

CAPUT II

De officio Auditorum, officialium et ministrorum tribunalis

Art. 16. - Rota posita est sub auctoritate Nuntii Apostolici; quare, nisi aliud caveatur, ad Nuntium Apostolicum spectat eam potestatem in Rota exercere, quam Episcopi exercent in sua tribunalia.

Art. 17. - Auditores, Promotor iustitiae et vinculi Defensor, itemque ministri Rotae iura et officia habent, quae iudicibus, officialibus et ministris tribunalium ecclesiasticorum competunt, nisi aliter cautum sit.

Art. 18. - Singuli Auditores, post nominationem, antequam iudicis officium suscipiant, coram Nuntio Apostolico, adstante Collegio Rotali, etnotario in actis referente, iusiurandum praestant de munere rite et fideliter implendo et de secreto servando.

Idem iusiurandum praestant Promotor iustitiae, Defensor vinculi eorumque substituti, notarii et scriptores, coram Collegio, nec non cursores seu apparitores coram Decano, in scriptis pariter referente notario.

Art. 19. - Decanus, salva auctoritate Nuntii Apostolici, universum tribunal moffideratur; ideoque curat ut omnes officiales et ministri tribunalis suum munus diligenter adimpleant.

Art. 20. - Impedito Decano, eius vicem supplet Auditor antiquior qui non sit impeditus.

Art. 21. - Rota iudicat per turnos trium Auditorum, ex quocumque numero constiterit tribunal quod in raecedenti instantia iudicaverit.

Art. 22. - Cum causa aliqua legitime ad Rotam pervenit, Decanus turnum statuit, iuxta ordinem temporis quo causae delatae sunt tribunali; itemque oPnentem designat eum qui in turno primam sedem occupat.

Art. 23. - In prima Rotali instantia turni eo ordine procedunt, ut primus constet ex Decano et Auditoribus secundo et tertio, alter ex secundo, tertio et quarto; tertius ex tertio, quarto et quinto; et ita deinceps ea lege ut turnus subsequens constituatur ab altero ex Auditoribus praecedentis turni et duobus subsequentibus Auditoribus, iterum incluso Decano cum duobus postremis Auditoribus, vel cum ultimo ex iisdem Auditoribus et secundo.

Art. 24. - Si agatur de appellatione a sententia rotali, turnus *ad quem* est ille constat ex Auditoribus immediate antecedentibus eos quibus turnus *a quo* constabat.

Art. 25. - Si quis Auditor infirmitate aut alia iusta causa impediatur quominus partem habeat in turno, Decanus Nuntium Apostolicum rogat ut alium Auditorem non impeditum substituat.

Art. 26. - Si Ponens a Decano designatus iustam causam habeat munus declinandi, idem munus a Decano alii ex Auditoribus de turno committi potest, edito decreto, omnibus, quorum interest, notificando.

Art. 27. - Ad Nuntium Apostolicum spectat decernere an in causis intervenire, nisi iam intervenerit in praecedenti instantia aut eius interventus ex natura rei appareat necessarius, ut in causis impedimenti ad matrimonium contrahendum, separationis inter coniuges, piae fundationis quoad eius exsistentiam, iuris patronatus pro tuenda Ecclesiae libetrate, vel ubi agitur de lege processuali tutanda.

Art. 28. - Si exceptio suspicionis proponatur contra unum vel alterum Auditorem, aut contra Promotorem iustitiae vel vinculi Defensorem, de eadem iudicat ipsa Rota per turnum a Nuntio Apostolico statutum; si contra maiorem Auditorum partem aut integrum Collegium, de exceptione iudicat Sancta Sedes.

Art. 29. - Si unus vel alter Auditor, aut Promotor iustitiae vel vinculi Defensor, ad normam can. 1613 §§ 1-2, abstinere teneantur, vel declarati sint suspecti, Nuntius Apostolicus alios non suspectos substituit. Si vero maior Auditorum pars aut integrum Collegium teneantur abstinere vel suspecta declarata fuerint, causa cognoscenda devolvitur ad Sanctam Sedem.

Art. 30. - Omnes officiales et ministri tribunalis debent absentium collegarum partes mutua vice supplere, atque alter alteri adiumento esse, prout Decanus aequum iudicaverit.

Art. 31. - Kalendarium iudiciarium, quo indicantur dies et horae quibus tribunal vacat causis agendis, et Auditores audientiam concedunt, decreto Nuntii Apostolici statuitur.

Art. 32. - Omnes qui tribunal Rotae constituunt eiusdemque officiales et ministri certis stipendiis sustentantur et, firmo praescripto art. 2, a munere cessant iuxta normas iam antea in Hispania legitime urobatas; iidem gravi de causa a competenti ecclesiastica auctoritate removeri possunt.

Art. 33. - Auditores, Promotor iustitiae, vinculi Defensor eorumque substituti, necnon omnes ministri tribunalis Rotae, prohibentur munera advocati et procuratoris exercere, sive per se sive per interpositam personam, apud quodcumque tribunal; iidemque districte vetantur ne quavis ratione se ingerant in causas ecclesiasticas ad suum munus non pertinentes.

Art. 34. - Auditores qui secretum violaverint aut dolo vel gravi negligentia litigantibus detrimentum attulerint, tenentur de damnis et a Nuntio Apostolico puniri possunt vel deferri ad Sedem Apostolicam iudicandi ad normam can, 1625 §§ 1-2.

Promotor iustitiae, vinculi Defensor eorumque substituti, necnon omnes ministri tribunalis qui officia sua violaverint, pariter tenentur de damnis et possunt puniri a Rotali Collegio ad normam can. 1625 § 3.

CAPUT III

De competentia

Art. 35. - Ob primatum Romani Pontifici quilibet fidelis in quovis iudicii gradu vel litis stadio potest quamlibet causam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eam introducere; recursus autem ad Sedem

Apostolicam interpositus non suspendit, excepto casu appellationis, iurisdictionem in iudice qui causam iam cognoscere coeperit (can. 1569 §§ 1-2).

Art. 36. - Causae reservatae Romano Pontifici aut tribunalibus Sedis Apostolicae et causae maiores a competentia Rotae Nuntiaturae Apostolicae excluduntur (can. 1557 §§ 1-3, 1600).

Art. 37. - Contra Ordinariorum decreta non datur appellatio ad Rotam: sed de recursibus exclusive cognoscunt Sacrae Congregatione (can. 1601).

Art. 38. - 1. Rota Nuntiaturae Apostolicae iudicat:

a) in secunda instantia causas quae iudicatae fuerint in prima instantia a quibusvis Hispaniae tribunalibus metropolitanis vel immediate Apostolicae Sedi subiectis, sublatis tribunalibus semel pro semper designatis ad recipiendas appellationes (can. 1594 § 2);

b) in tertia instantia, quatenus necessaria sit, causas quae a tribunalibus metropolitanis dicionis Hispaniae vel ab ipsa Rota iudicatae fuerint in secunda instantia;

c) in ulteriore instantia causas quae iudicatae fuerint ab ipsa Rota, quatenus ulterior propositio requiratur.

2. Hoc tribunal iudicat etiam in prima instantia causas quas Nuntius Apostolicus, ad petitionem alicuius Episcopi in Hispania competentis, ob graves rationes eidem tribunali commiserit.

3. Ob graves pariter et probatas rationes, utraque parte petente et consentiente Metropolita, poterit Nuntius Apostolicus, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, causas circa matrimonii nullitatem a quibuslibet Hispaniae tribunalibus suffraganeis in primo gradu iudicatas, Rotae Nuntiaturae Apostolicae in secunda instantia iudicandas mandare.

Art. 39. - Semper integrum erit partibus in hoc mutuo convenientibus causas directe ad Sacram Romanam Rotam per legitimam appellationem deferre, quae a quorumvis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint (can. 1599 § 1, 1°).

Art. 40. - Querela nullitatis proponitur ad normam can. 1893 et 1895; restitutio in integrum vero ad normam can. 1906.

Art. 41. - Si ob ulteriorem causae propositionem, vel querelam nullitatis, vel restitutionem in integrum, nova instantia requiratur et Rotae Nuntiaturae Apostolicae, quavis ex causa, desint iudices necessari ad turnum efformandum, causa devolvitur ad Sanctam Sedem.

CAPUT IV

De Procuratoribus et Advocatis

Art. 42. - Munera procuratoris et advocati apud Rotam Nuntiaturae Apostolicae exercere possunt:

1.° Advocati consistoriales, Procuratores SS. PP. AA., Advocati S. Romanae Rotae, si sint hispani;

2.° Ii omnes qui a Nuntio Apostolico ad eiusmodi munera gerenda admissi sunt.

Art. 43. - 1. Advocati et procuratores Rotae oportet sint catholici atque honestate et religionis fama praestantes. Acatholici non admittuntur nisi per exceptionem et ex necessitate, ad normam can. 1657 § 1.

2. Ut quis habituali advocati vel procuratoris munere fungi ac in proprium eorum album referri possit, hispanica civitate pollere debet. Exceptiones huic normae ab Apostolico Nuntio, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, admitti poterunt in aliqua tantum peculiari causa.

3. Omnes advocati et procuratores lauream doctoralem saltem in iure canonico consecuti sint oportet atque, post tirocinium apud Sacram Romanam Rotam vel apud Rotam Nuntiaturae Apostolicae laudabiliter absolutum, peculiari periculo satisfecerint.

Iidem praeterea obligatione tenentur iusiurandum praestandi de munere rite et fideliter implendo.

Art. 44. - Album procuratorum et advocatorum Rotae a Nuntio Apostolico evulgatur.

Art. 45. - Procurator, nisi ob peculiaria rerum adiuncta Nuntius Apostolicus aliter indulgeat, Matriti residere debet.

Art. 46. - Procuratores et advocati Rotae Nuntiaturae Apostolicae tenentur praestare pauperibus gratuitum patrocinium et observare leges canonicas tum communes tum proprias eiusdem sacri tribunalis.

Art. 47. - Procuratores et advocati qui officio suo defuerint, possunt a Rotali Collegio reprehensionis nota inuri, poena pecuniaria mulctari vel etiam, cum adprobatione Nuntii Apostolici, suspendi ab officio et ab Albo expungi.

Art. 48. - Procuratorum et advocatorum emolumenta non alia admittuntur quam quae fuerint a Nuntio Apostolico probata.

CAPUT V

De ordine iudiciario

Art. 49. - Apud Rotam Nuntiaturae Apostolicae nullus alius ordo indiciarius admittitur quam qui iure canonico statuitur, sive

in Codice sive in aliis normis ecclesiasticis editis vel edendis, praesertim vero, quod attinet causas matrimoniales, in Instructione Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936, confirmata Pii Pp. XI m. pr. *Qua cura*, diei 8 decembris 1938.

Art. 50. - Cum causa apud Rotam proponitur, petitio vel appellatio dirigitur ad Nuntium Apostolicum, qui Rotae causam committit.

Art. 51. - Cum locus est citationi per edictum, Nuntius Apostolicus decernit per quae diaria vel periodica, praeter affixionem ad fores Curiae, decretum citationis edendum sit.

Art. 52. - Si causa ad Rotam delata instructione indigeat, Ponens instructionem peragit, sed potest etiam alii Auditori de turno committere, nisi agantur de causa criminali, quo in casu officium instructoris a Decano alii Auditori turno extraneo demandatur.

Art. 53. - Contra decreta Ponentis vel iudicis instrutcoris datur recursus ad turnum a quo causa iudicanda est.

Art. 54. - Ad Episcopum domicilii coniugum spectat iudicium ferre de exsistentia condicionum de quibus in art. 38 §§ 2 et 39 *b*) Instructionis Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936.

Art. 55. - Ad Ordinarium coniugis pertinet tutorem vel curatorem admittere vel designare ad normam art. 78 Instructionis Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936.

Art. 56. - Scriptae iudicum conclusiones, de quibus in can. 1871 § 2, et sententiae redigendae sunt lingua latina, nisi iusta causa aliud suadeat.

Art. 57. - Res iudicxata efficitur ad normam can. 1902, 1°-3°; et pro causis quae non transeunt in rem iudicatam utlerior causae propositio non admittitur nisi ad normam can. 1903, 1987 et 1989.

Art. 58. - Index taxarum et evpensarum iudicialium, nec non emolumentorum pro advocatis et procuratoribus, a Nuntio Apostolico decreto sancitur.

Art. 59. - Rota Nuntiaturae Apostolicae quotannis tenetur referre de sua activitate Sacre Congregationi de disciplina Sacramentorum iuxta litteras eiusdem Sacrae Congregationis diei 1 iulii 1932 et m. pr. *Qua cura* Pii Pp. XI diei 8 decembris 1938, n. V.

Quae omnia motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, praesentium Litterarum Apostolicarum tenore plenissime adprobamus, eisdemque supremum Apostolicae Nostrae auctoritatis robur adiicimus. Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere suosque plenos atque integros effcetus sortiri et obtinere, eidemque tribunali Rotae Nuntiaturae Apostolicae plenissime suffragari;

sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari ocntigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VII mensis Aprilis anno MCMXXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XII

VI

CONVENIO

ENTRE LA SANTA SEDE Y EL ESTADO ESPAÑOL SOBRE LA JURISDICCION CASTRENSE Y ASISTENCIA RELIGIOSA DE LAS FUERZAS ARMADAS.

(5 Agosto 1950)

La Santa Sede y el Gobierno Español, deseando llegar a un acuerdo sobre la Jurisdicción Castrense y Asistencia Religiosa a las Fuerzas Armadas, han nombrado, ocn este objeto, sus Plenipotenciarios, a saber:

Su Santidad el Sumo Pontifice a Su Excelcia Reverendísima Monseñor DOMENICO TARDINI, Secretario de la Sagrada Congregación de Asuntos Extraordinarios; y

el Jefe del Estado Español al Excelentísimo Señor Doctor Don JOAQUÍN RUIZ-GIMÉNEZ, Embajador de España cerca de la Santa Sede,

Los cuales, después de haber canjeado sus plenos poderes y hallarlos en debida forma, han convenido en los Artículos siguientes:

ARTÍCULO I

La Santa Sede constituye en España un Vicariato Castrense para atender al cuidado espiritual de los militares de Tierra, Mar y Aire.

ARTÍCULO II

La Santa Sede procederá al nombramiento del Vicario General Castrense, previa presentación del Jefe del Estado, según lo establecido en el Convenio en vigor entre la misma Santa Sede y España, sobre provisión de las Sedes Arzobispales y Episcopales y el nombrimiento de Coadjutores con derecho de sucesión.

El Vicario General Castrense será elevado a la dignidad arzobispal.

Artículo III

Al quedar vacante el Vicariato Castrense, el Teniente Vicario de la Primera Región Militar más antiguo en este cargo, asumirá interianamente las funciones del Vicario General Castrense, con las limitaciones perttinentes, por carecer de la dignidad episcopal.

Artículo IV

El ingreso en el Cuerpo de Capellanes tendrá lugar previa oposición, según las normas aprobadas por la Santa Sede, si bien no se requerirán necesariamente títulos académicos para ser admitidos a la oposición y siempre a salvo las disposiciones del presente Convenio.

Para el ascenso al grado de Teniente Vicario, será preciso poseer la Licenciatura o el Doctorado en Teología o en Derecho Canónico y haber sido declarado canónicamente apto, previo examen, por el Vicario General Castrense.

Artículo V

El nombramiento eclesiástico de los Capellanes se hará por el Vicario General Castrense, quien les expedirá el correspondiente título.

El ingreso en el Cuerpo y el destino a Unidad o Establecimiento, se hará por el Ministerio correspondiente, a propuesta del Vicario General Castrense

Artículo VI

Los Capellanes militares ejercen su sagrado ministerio bajo la jurisdicción del Vicario General Castrense, asistido por su propia Curia.

Dado el carácater sagrado de los Capellanes, en el caso en que deban ser sancionados por consecuencia de un expediente de carácter puramente militar, se dará cuenta al Vicario General Castrense, quien dispondrá se cumpla la sanción en el lugar y en la forma que estime más adecuados.

El Vicario General Castrense podrá suspender o destituir de su oficio por causas canónicas y « ad normam iuris canonici » a los Capellanes militares, comunicando la suspensión o remoción al Ministerio competente, el cual, sin otro trámite, procederá, en el primer caso, a declararlos en situación de disponibles y, en el segundo, a darles de baja en el Cuerpo.

Los Capellanes militares como Sacerdotes y « ratione loci » estarán sujetos también a la disciplina y vigilancia de los Ordinarios

diocesanos, quienes en casos urgentes podrán tomar las oportunas providencias canónicas, debiendo en tales casos hacerlas conocer enseguida al Vicario General Castrense.

Artículo VII

La jurisdicción del Vicario General Castrense y de los Capellanes, es personal; se extiende a todos los militares de Tierra, Mar y Aire en situación de servicio activo (esto es bajo las armas), a sus esposas legítimas e hijos menores, cuando vivan en su compañía y a los alumnos de las Academias y de las Escuelas Militares, quedando excluidos los civiles que de cualquiera otra manera estén relacionados con los mismos militares o presten servicio en los Ejércitos.

La misma jurisdicción se extiende también a los miembros del Cuerpo de la Guardia Civil y de la Policía Armada.

Artículo VIII

Los Capellanes militares tienen competencia parroquial en lo tocante a las personas mencionadas en el artículo precedente.

Por lo que se refiere a la asistencia canónica al matrimonio, tendrán presente la disposición del Cánon 1907, 2, del Código de Derecho que prescribe: « Pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset »; y en caso de celebrarse el matrimonio ante el Capellán castrense, éste deberá atenerse a todas las prescripciones canónicas y de manera particular a las del Cánon 1103 § 1 y 2.

Sin perjuicio de lo que prescribe el Cánon 1962 del Código de Derecho Canónico, está reservado a los Ordinarios del lugar conocer de las causas matrimoniales concernientes a personas sujetas a la jurisdicción eclesiástica castrense.

Artículo IX

Como quiera que la jurisdicción castrense se ejerce dentro del territorio de las diferentes diócesis, es cumulativa con la de los Ordinarios diocesanos. Sin embargo, en los cuarteles, aeropuertos, arsenales militares, residencia de las Jefaturas Militares, Academias y Escuelas Militares, hospitales, tribunales, cárceles, campamentos y demás lugares destinados a las tropas de Tierra, Mar y Aire, usarán de ella primaria y principalmente el Vicario General Castrense y los Capellanes militares; y subsidiariamente, aunque siempre por derecho propio, los Ordinarios diocesanos y los Párrocos locales, cuando aquéllos falten o estén ausentes, mediante los oportunos acuerdos, por regla general, con el Vicario General Cas-

trense, quien informará a las Autoridades militares correspondientes.

Fuera de los lugares arriba señalados, ejercerán libremente su jurisdicción los Ordinarios diocesanos y, cuando así les fuese solicitado, los Párrocos locales.

Artículo X

Cuando los Capellanes castrenses, en funciones de su sagrado ministerio con los militares, tengan que oficiar fuera de los templos, establecimientos, campamentos y demás lugares destinados regularmente a ellos, deberán dirigirse con anticipación a los Ordinarios diocesanos o a los Párrocos o Rectores locales para obtener el oportuno permiso.

Artículo XI

El Vicario General Castrense se pondrá de acuerdo con los Obispos diocesanos y los Superiores Mayores Religiosos, para designar entre sus súbditos, un número adecuado de sacerdotes, que, sin dejar los oficios que tengan en su Diócesis o Instituto, se dediquen a auxiliar a los Capellanes militares en el servicio espiritual de las fuerzas armadas.

Tales sacerdotes y religiosos ejercerán su ministerio con los militares a las órdenes del Vicario General Castrense, del cual recibirán las necesarias facultades « ad nutum », y serán retribuídos a título de gratificación o estipendio ministerial.

Artículo XII

El Estado español reconoce que los clérigos y religiosos, ya sean profesos, ya novicios, en virtud de los Cánones 121 y 614 del Código de Derecho Canonico, están exentos de todo servicio militar.

1) En tiempo de paz, el Vicario General Castrense, previo acuerdo con los Ordinarios diocesanos o Superiores Mayores Religiosos, puede llamar en la medida que sea necesario, y por un tiempo no superior en todo caso a la duración del Servicio Militar en filas, a los sacerdotes y religiosos profesos que hayan alcanzado los treinta años de edad, a prestar en los Ejércitos funciones de su sagrado ministerio o asistencia religiosa de las Fuerzas Armadas, con exclusión de todo otro servicio.

2) Los seminaristas, postulantes y novicios diferirán en tiempo de paz, el cumplimiento de todas las obligaciones militares, solicitando prórrogas anuales durante el tiempo que les falte para recibir el Sagrado Presbiterado o para emitir sus votos respectivamente.

Los Rectores de los Seminarios y los Superiores de las Casas Religiosas enviarán, sin pérdida de tiempo, a las Autoridades militares correspondientes nota de aquellos seminaristas, postulantes y novicios, que, disfrutando de dichas prórrogas, abandonaren el Seminario o el Instituto religioso.

La misma obligación tendrán los señores Obispos y los Superiores Mayores Religiosos, respecto de los clérigos que, a tenor de los SS. Cánones hubieran sido reducidos al estado laical o de los religiosos que no habiendo recibido Ordenes Sagradas y estando en edad militar, abandonaren el Instituto.

3) Todos los clérigos, seminaristas y religiosos, incluso los novicios y postulantes, quedarán excluidos de las movilizaciones que se decretan con fines de instrucción.

Artículo XIII

En los casos de movilización general por causa de guerra, los sacerdotes seculares o regulares que tuviesen la edad a que alcance la movilización y fuesen necesarios a juicio del Vicario General Castrense, serán llamados a ejercer su sagrado ministerio en las fuerzas armadas, como Capellanes, disfrutando de la consideración de Oficiales.

En los casos de movilización por causa de guerra, los clérigos y religiosos no sacerdotes, así como los seminaristas, postulantes y novicios, en edad a la que alcance la movilización y en la medida que el Vicario General Castrense estimare necesario, serán destinados a ayudar a los Capellanes en su ministerio espiritual, o a otros servicios compatibles con su carácter eclesiástico. De entre ellos, los que en el momento de decretarse la movilización estén preparándose para el sacerdocio, disfrutarán de permisos prorrogables que, en cada caso, a juicio del Vicario Castrense autoricen las circunstancias, con el fin de que prosigan sus estudios en el Seminario o Casa Religiosa a la cual pertenecen.

Cesarán en su disfrute, si abandonan los estudios o cuando terminen la carrera, circunstancias que los Rectores o Superiores respectivos comunicarán inmediatamente a la Autoridad militar.

El seminarista o novicio en cuyo nombre se presente voluntariamente un sacerdote del clero regular o secular, debidamente autorizado por sus Superiores eclesiásticos, para prestar servicio de vanguardia propio de su ministerio sacerdotal, disfrutarán en todo caso de estos permisos.

Artículo XIV

En los casos de movilización general por causa de guerra quedan exceptuados del cumplimiento de las obligaciones militares los sacerdotes que tengan cura de almas. Se consideran tales los Ordinarios, los Párrocos, los Vicepárrocos y los Rectores de Iglesia abiertas al culto.

Asimismo serán dispensados de las obligaciones antedichas, aún en los casos de movilización general por causa de guerra, los Obispos titulares; los Rectores de los Seminarios; y los Misioneros, a saber: aquellos sacerdotes y religiosos que, con la debida autorización de la competente autoridad eclesiástica, se consagran al apostolado en los territorios de misión.

Artículo XV

El Vicario General Castrense o el Teniente Vicario que interinamente asuma sus funciones, podrá solicitar de la Santa Sede la concesión y sucesiva renovación de las facultades, gracias y privilegios que estimen convenientes.

Artículo XVI

Este Convenio será ratificado y las ratificaciones canjeadas en el más breve plazo posible.

Hecho por duplicado en la Ciudad del Vaticano, a cinco de Agosto de 1950.

L. + S. Domenico Tardini L. + S. Joaquin Ruiz-Gimenez

VII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

« HISPANIARUM FIDELITAS »

URBIS

(BASILICAE S. MARIAE MAIORIS)

CERTA STATUUNTUR NORMAE AB HISPANICA NATIONE ET A CANONICORUM COLLEGIO AD S. MARIAE MAIORIS, IN ALMA URBE, SERVANDAE.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Hispaniarum fidelitas erga catholicam religionem et Apostolicam hanc Sedem, itemque pietas erga Beatam Virginem Mariam maxi-

ma laude dignas edidere significationes per saecula, innumerisque fere confirmantur monumentis. Inter quae sane praestat constans illa atque munifica propensio in primarium Deiparae Mariae Virginis templum, Romae exstans, qua, saeculorum decursu, nobilis Hispaniensis Nationis Principes sese affectos semper ostenderunt.

Quam profecto egregiam pietatem ac regiam liberalitatem praeclarissime testatur in eadem patriarchali Basilica Sanctae Mariae Maioris pium opus ad mentem ac vota Philippi IV Regis sollemniter constitutum die septimo mensis Octobris, anno millesimo sescentesimo quadragesimo septimo ab Innocentio X, Decessore Nostro, per Constitutionem Apostolicam *Sacri Apostolatus.*

Huius pii operis gratia, Sedes episcopales Catanensis et Mazariensis, quae tunc temporis sub Philippi IV dicione et imperio erant, officium in se recipiebant prima solvendi quotannis duo milia scutorum et ducenta, ex moneta Regni Siciliae, altera vero mille octingenta, quae Collegio Canonicorum Liberiani templi emolumento cederent, Beneficiariis, Clericis, iisque denique omnibus qui ad altare ministrarent, iuxta normas et modum quae eadem Apostolica Constitutione continerentur. Collegio vero Canonicorum illud oneris iniungebatur, ut ter sacra facienda curarent: primum scilicet in die festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, alterum in die octavo a Commemoratione omnium defunctorum, tertium denique die vicesimo tertio mensis Ianuarii, S. Ildefonso dicato; quibus sacris sive regi sive cunctae Hispanorum Genti favores summi Dei impetrarentur.

Quae tamen pacta varios habuere casus, praesertim postquam Ultraiectenses conventiones, anno millesimo septingentesimo decimo tertio initae, ab Hispanis Siciliae regimen eripuerunt. Quibus enim Principibus ea obtigerat administranda, ii contenderunt ad se pertinere sicut onera ita et emolumenta, quae ex bonis dioecesium Catanensis et Mazariensis provenirent quaeque Basilicae S. Mariae Maioris danda essent.

Hinc frequentes et laboriosae pactiones inter Apostolicam Sedem et Reges ac Principes factae sunt rei dirimendae causa, donec, Sicilia cum Regno Italico coniuncta, dioeceses, de quibus mentio facta, prescriptam in Constitutione Apostolica *Sacri Apostolatus* summam apud illud aerarii officium solvere coactae sunt, quod vulgo « Economato dei benefici vacanti » appellabant.

Cum tamen ex commate vicesimo octavo tractationis die undecimo mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo undetricesimo inter Sanctam Sedem et Regnum Italicum regia iura abolita essent, quae in beneficia sive maiora Reges habebant, itemque in provinciis utriusque Siciliae onera abolita quae annuam tertiam beneficiorum ecclesiasticorum partem gravarent, Colle-

gium Canonicorum ad S. Mariae Maioris enixe flagitavit ut quae pecuniarum summa ex Constitutione *Sacri Apostolatus* sibi deberetur non iam aerario Regni Italici sed Canonicorum Colllegio solveretur. Cui postulationi episcopales Sedes Catanensis et Mazariensis primum concesserunt; anno vero millesimo nongentesimo tricesimo tertio repugnaverunt, et praescripta negantes posse adhuc vigere quae a Philippo IV Rege et a Summo Pontifice Innocentio X fuissent edita et confirmata.

Anno igitur millesimo nongentesimo tricesimo quarto eaedem dioeceses veniam petierunt Collegium Canonicorum in iudicium arcessendi apud Tribunal S. R. Rotae, ad praescriptum canonis 1577, § 2, n. 2 Codicis Iuris Canonici; ea ferme mente ut iudicum sententia declararetur: « Mensae sive Catanensis sive Mazariensis non tenentur solvere pensiones a Summo Pontifice Innocentio X impositas super redditibus utriusque mensae ».

Cuius tamen Tribunalis cum auctoritas vindicandae rei iuxta ea quae in eadem Constitutione continentur, in dubium vocata esset, Nos, Consilium quorundam egregiae prudentiae virorum constituimus qui rem dirimerent, iisque omnes potestates ad id necessarias tribuimus. Cui Consilio dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Maximum Massimi praefecimus eique venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Eugenium Tisserant et Iosephum Bruno socios dedimus, dilecto Filio Dino Staffa munere a secretis demandato.

Interea, controversia nondum composita, excellentissimus vir Ioachim Ruiz-Giménez, apud hanc Apostolicam Sedem Hispani populi Legatus, Nobis aperuit optare et velle eos, qui Hispanae Genti praessent, dissidium adimere et componere, nulla iudicum exquisita sententia. Immo rationes indicavit, quibus aditus pateret ad eas tractationes, quae ab eius successore excellentissimo viro Ferdinando Maria Castiella initae, ad felicem exitum postea adductae fuerunt.

Itaque in primis haec quae sequuntur utrimque declarantur: perillustris ac valde honorabilis vir Franciscus Franco et Bahamonde, Nationis Hispanicae supremus Moderator, onera, quae infra scribuntur, cunctae suae Gentis nomine suscipiens, vult eam pietatem ac liberalitatem persequi, quas Hispanus populus Deiparae Virgini numquam praeterito tempore non exhibuerit. Item est huic Apostolicae Sedi acceptum et gratum quod tam nobilis Natio vult suae pietatis vincula confirmare, quam in maximum templum Beatae Mariae Virginis, quod in Urbe, in ipso scilicet catholici orbis centro, exstat, semper ostendit.

Convenit vero inter hanc Apostolicam Sedem et Hispanicae Nationis Moderatorem onera mutuo suscepta praesenti Constitutione sanciri, quam in locum Constitutionis *Sacri Apostolatus*, ab Innocentio X, Decessore Nostro, datae, suffici ad omnes iuris effectus; ita ut nemo propter eandem Constitutionem quidquid in posterum sibi vindicare possit.

Eiusmodi vero onera, invicem suscepta, ea sunt quae sequuntur:

1. - Sedes Apostolica primum decernit ut Nationis Hispanicae Moderator Protocanonicus Liberiani templi habeatur, cui honores seu privilegia iuxta traditum morem sint tribuenda, cum sacrarum caeremoniarum sollemnia peragantur. Qui honores, si idem absit, eius legato debentur, inter tria sacra facienda, quae tertio commate huius Conventionis praescribuntur.

2. - Concedit deinde Apostolica Sedes ut unus e Canonicis templi S. Mariae Maioris sit semper natione Hispanus; qui ex eo die eligi incipiet quo aliquod ex Canonicorum beneficiis primum vacaverit. Hunc canonicum Apostolica Sedes libere eliget, eo tamen pacto ut, antequam certus Canonicus declaretur, eius nomen secreto iis aperiat qui Hispanicae Nationi praesunt, ut cognoscat num ipsi aliquam iustam causam habeant huic electioni opponendam. Huius Canonici, qui eadem emolumenta percipiet ac ceteri Canonici, erit Sanctae Sedi indicare num in eroganda ac distribuenda pecunia, quam Hispanica Natio largiatur, aliter actum sit ac Apostolica Sedes, ad normam sequentis commatis quarti, statuerit.

3. - Cavet tertium haec Sancta Sedes sua auctoritate ut singulis annis in Basilica Liberiana ter sacra Canonici faciant: quorum primum in die festo Beatae Mariae Virginis Caelo receptae, alterum in festo Immaculatae Conceptionis eiusdem Beatae Mariae Virginis; tertium denique in festo S. Ferdinandi, qui fuit Hispanorum Rex, cum Hispanicae Genti tum supremo eius Moderatori felicitatis impetrandae gratia.

4. - Spondet invicem Hispanica Civitas se esse quotannis, Kalendis Ianuariis, octo milia aureorum nummorum persoluturam, qui eorum lingua « pesetae » dicuntur. Cuius summae definiet haec una Apostolica Sedes quaenam cotidianarum et ordinariarum distributionum pars cedat Canonicis, Beneficiariis et Clericis Beneficiariis; quaenam distributionum extraordinariarum pars sit dispensanda « inter praesentes » celebrationi trium illorum sacrorum, quorum mentio est in commate tertio; quaenam denique pars impendenda sit in tria eadem sacra facienda, quaenam Basilicae cedat vel cultus exercendi vel templi restaurandi causa.

Quas pactiones, feliciter ordinatas, supremaque auctoritate Nostra sancitas considerantes, facere non possumus quin nobili Hispaniarum Genti et Nostram iterum propensam testemur voluntatem et gratulemur vehementer de declarata in Beatissimam Deiparam Virginem pietate inque Apostolicam Sedem obsequio, simulque multis optemus votis ut Caelestium Regina exhibitam sibi venerationem rependat, faventem prosperitatem fidelissimae Hispanicae Nationi pro merito impertiens.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus: ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus.

Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat: quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur.

Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die quinto mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
+ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Protonotarius Apost.*
Albertus Serafini, *Protonotarius Apost.*

Loco + Plumbi

Reg. in Canc. Ap. Vol. LXXXVII, n. 83.

RECENSIONES

P. Raimondo Spiazzi O. P. *Essenza e contemporaneità della Chiesa*, S.E.I., Torino.

Libro di ampio respiro che mentre suppone la conoscenza dell'insegnamento della teologia sull'argomento, da essa spicca il volo per spaziare in campi vicini e lontani più o meno esplorati, ma dove l'autore sa guardare a fondo con occhi scrutatori e sereni.

L'opera si divide in tre parti di cui più originali e profonde la seconda che illustra le più vive antinomie che tormentano l'uomo moderno e che trovano nella Chiesa una superiore conciliazione e la terra che tratta dell'attività dei valori umani e delle realtà terrestri in quanto assunti dalla Chiesa in una superiore sintesi, da cui ricevono salvezza elevazione ed arricchimento. Degni di nota, nella seconda parte, i capitoli: « Personalismo e socialità » « Libertà ed autorità » « Spiritualità e organizzazione », e, nella terra, i capitoli: « La Chiesa ed il lavoro » « La Chiesa e la vita sociale » « La Chiesa e la politica » « La Chiesa e la civiltà ».

L'autore ha utilizzato molti dei più recenti studi sulla Chiesa, specie quelli del Giordani, Bernareggi, Cordovani, Siri, Stefanini, Sciacca, Suhard, Adam, De Montcheuil, De Lubac e in primo luogo del P. Sertillange. Ma l'opera non ne risulta appesantita, dato che documentazioni, citazioni di testi e corredi bibliografici sono ridotti al minimo, anzi addirittura eliminati, il che contribuisce a darle agilità e snellezza oltre che favorirne la comprensione presso ogni genere di lettori.

Il titolo del libro è ben giustificato e corrisponde pienamente a quella che è la prefazione dell'argomento. Sembrerebbe esso pure una antimonia in quanto la contemporaneità della Chiesa mal si concilia con la sua trascendenza ed eternità; ma l'autore sa benissimo accostare l'una e l'altra prerogativa facendo comprendere come i due elementi si uniscano indissolubilmente, anzi come l'uno scaturisca dall'altro, essendo la Chiesa il prolungamento di Cristo nei secoli, anzi, secondo la bella espressione di Bossuet, Cristo medesimo diffuso e comunicato.

Non è estraneo all'opera un intento leggermente apologetico, accennato del resto nella prefazione, ove si confutano le facili profezie di chi avrebbe voluto e vorrebbe ancora liquidare la Chiesa di cui invece si asserisce con entusiasmo la continua rinascita, la rivincita sul tempo e sulle epoche, sui suoi nemici e sui suoi stessi figli spesso infedeli.

Il libro, come dice l'autore, vuole essere anzitutto un atto di fede nella Chiesa sempre vivente e sempre giovane che in ogni secolo si orna di nuove vesti, irraggia nuove luci, realizza nuove vittorie, pur restando identica a se stessa, fedele all'immagine divina impressa sul suo volto dallo Sposo che la ama e la protegge: Cristo.

Al libro fa da appendice una conferenza che l'autore tenne a Bari ed a Roma dal titolo: « Cristianesimo e democrazia » nel pensiero di Fra Girolamo Savonarola. In essa l'autore vuol riferire quelle parole di saggezza che uscirono dalle labbra del Savonarola ed oggi ripetute

dalla Chiesa con altri accenti e con superiore autorità per sanare alla radice il mondo moderno.

Auguriamo al giovane e valente autore che il suo libro incontri il favore dei lettori e faccia ovunque del bene, contribuendo ad una più profonda conoscenza ed ad un più valido amore della Chiesa.

F. Carpino

Yves de Montcheuil, *Problemi della Chiesa* (Trad. di G. Barra), Milano, Vita e Pensiero.

Libro di teologia e di meditazione, vuole essere anche un piccolo trattato « De Ecclesia » ma con in più tante cose che i trattatisti scolastici non dicono e con in meno tante preoccupazioni d'indole apologetica che essi hanno.

Sono lezioni che l'autore ha tenuto a giovani universitari, ma non hanno nulla di arido e di scolastico, nè si può dire si rivolgano solo all'intelligenza col solo compito di istruire. Senza averne l'aria e quasi senza farne accorgere l'autore raggiunge uno scopo più alto, che è quello di farne amare l'argomento che tratta e di renderlo sorgente delle più belle considerazioni per la vita spirituale.

Con un ragionamento stringente e per nulla appesantito da formule e da termini pur consacrati dall'uso, l'autore espone ad una ad una idee chiare e profonde e talora perfino nuove, almeno nella forma, badando a correggere e più a completare le idee correnti in materia. Si vedano, per esempio, i capitoli sulla cattolicità e sulla santità della Chiesa e sopratutto quello su « La Chiesa e i non credenti ».

La traduzione di don Barra è facile e scorrevole, fedele all'originale, ma rispettosa al massimo della nostra lingua.

F. Carpino

Fulton J. Sheen. *Comunismo e coscienza dell'Occidente.* Richter, Napoli.

Libro abbastanza impegnativo e nuovo questo dello Sheen. Dal titolo si potrebbe argomentare che l'A. ami mettere di fronte due mondi completamente diversi, due ideologie: il mondo occidentale ed il mondo orientale; ma non è così. Nell'esame critico dell'A. il Comunismo appare non come nemico, ma come il prodotto della civiltà borghese occidentale, capitalista e materialista. « Il comunismo sta alla nostra civiltà materialista occidentale come la putrefazione sta alla malattia ». (Pag. 65).

Da una civiltà malata e lontana da Dio, in cui l'uomo è considerato come un animale evoluto, privo del senso di responsabilità e quindi privo della sua personalità, immerso nel suo egoismo, nasce il comunismo che è appunto la sintesi di tutto il pensiero ateo, deistico ed agnostico del XVIII e del XIX secolo. « Quello che il mondo occidentale ha sottoscritto a pezzetti isolati e senza nesso tra di loro, il Co-

munismo lo ha integrato in una filosofia completa della vita ». (p. 65). « Tra i due mondi non c'è una identità, ma una affinità ». (ibid.). Lo stesso Marx attinse alla dialettica di Hegel, al materialismo di Feuerbach, alla sociologia di Proudhon e costruì la filosofia del comunismo in cui ogni idea è occidentale. Da questo coraggioso atto di accusa alla società occidentale, lo Sheen prende le mosse per il suo libro.

La Chiesa cattolica è contro il comunismo non perchè contiene una teoria economica, ma perchè nega ogni idea di Dio, i valori spirituali e, pur volendo innalzare lo uomo, lo deprime, togliendo completamente la libertà. Il Comunismo poi che si vanta di avere risolto tutti i problemi, non ha risolto il grande problema della morte. « Durante la vita la forza, il terrore ed il timore possono estinguere la personalità, ma la morte la riaffermerà ». (pag. 170). Allora l'uomo si troverà solo davanti alla sua coscienza.

Verso una tale ideologia sorge spontaneo un senso di avversione; non così verso quanti la seguono, per i quali l'A. è pieno di carità. « Il Comunismo è una ideologia, e come tale, intrinsecamente malvagia, ma i comunisti sono delle persone fatte ad immagine e somiglianza di Dio e come tali debbono essere oggetto della nostra premura e carità ». (pag 168). E del resto, come ben dimostra l'A. nel capitolo « La Russia e la fede » il Comunismo non è il vero volto della Russia. Di fronte ai mille anni della storia cristiana della Russia ci sono appena i 34 anni della diffusione dell'idea comunista e questi pochi anni non hanno potuto spegnere il sentimento religioso che è connaturato all'anima russa più che l'ateismo, importato dal mondo occidentale.

E quì si fonda la speranza che aleggia in tutte le pagine del libro: la speranza nella conversione della Russia ed in un rivolgimento delle cose, perchè, ed è la convinzione sincera dell'Autore, tanto il comunismo che la civiltà occidentale si avviano verso la catestrofe per preparare una civiltà nuova. Ma a questo non si arriva se non attraverso la nostra rinascita spirituale e la preghiera per affrettare l'ora di Dio.

Questa speranza ha la garanzia della promessa della Vergine Immacolata ai fanciulli di Fatima ed a Lei, vincitrice di tutte le eresie, il libro è dedicato nell'ansiosa attesa di vedere trionfare il Suo Cuore Immacolato.

Queste le idee che l'A. con uno stile incalzante espone nei dieci capitoli del libro, arricchito di tante opportune citazioni, dove vive insistente l'appello alla coscienza dell'occidente per svegliarsi da una vita di letargo ed iniziare quella resurrezione che porterà alla vittoria.

Vibra in tutto il volume la fede viva ed ardente di S. E. Mons. Sheen nella forza salvatrice del Cristianesimo e nel trionfo della Chiesa Cattolica; sgorgano così le pagine più belle e piene di speranza.

F. Carpino

Victorius Bartoccetti. *De causis matrimonialibus. Extractus ex vol III: Commentarii in Judicia ecclesiastica juxta Codicem Juris canonici, auctore Michael Card. Lega.* Romae, Typis Pubblicae Officinae Polygraphicae. 1951 in 8° pp. 344.

Egregium hoc opus complementum est Commentarii Em.mi Cardinalis Lega circa processus ecclesiasticos, qui quidem maximi est momenti; quem commentarium Adm. Rev. V. Bartoccetti Subsecretarius Sacrae Congregationis de Sacramentis primo edidit annis 1939-1942, modo vero in secunda editione. Cum Cardinalis Lega illustrationem causarum matrimonialium omiserit, valde opportune Rev.mus Bartoccetti specialem addere voluit tractatum circa hoc argumentum, ut opus Eminentissimi Purpurati Patris completum perfectumque evaderet.

Omnes quidem juris canonici cultores, pro duplici beneficio scientiae juridice collato valde grati esse debent Auctori, eoquod nempe imprimendum curaverit opus Cardinalis Lega, qui in jure processuali locum apprime conspicuum obtinet itemque quia hanc amplam doctamque illustrationem causarum matrimonialium, de qua agimus, addidit. Auctoris nota competentia eiusque experientia quam apud Sacram Romanam Rotam acquisivit, altum munus quod nunc in S. Cong.ne de Sacramentis gerit operi indubium pondus singulareque momentum conferunt.

Rev.mus Bartoccetti celebrem Instructionem die 15 Augusti a. 1936 a S. C. de Sacramentis latam exponit et illustrat: quae Instructio 240 articulis praxim explanat causas nullitatis matrimonii pertractandi. Expositio et illustratio singulorum ariculorum clara et exacta extat et ob acutam indaginem, scientificam serietatem solidaque doctrina eminet. Quaestiones controversae punctaque in jure dubia sapienter expenduntur. Auctor enim rationes sententiarum hinc inde latarum librat suamque mentem obiectiva serenitate, solidis tutisque principiis innixus aperit. Responsa Pontificiae Commissionis Intrepretationis Codicis, Acta Sanctae Sedis ad rem attinentia exacte referuntur et illustrantur. Exponitur demum ad instar appendicis procedura adhibenda in causis de Sacra Ordinatione et de dispensatione super rato non consummato.

Peculiaris pretii habendae sunt animadversiones acutae et profundae circa quaedam puncta supra que attentionem canonistarum revocare placet, circa nempe jus accusandi matrimonium, circa eiusdem convalidationem, circa matrimonium praesumptum, circa officia defensoris vinculi et promotoris justtitiae (pp. 76, 84, 92, 126ssq.). Cum auctore quidem omnino consentimus, fervideque ominamur ut praesertim normae de convalidatione et accusatione matrimonii opportunae perficiantur uti pro canonibus 782, 954, 1099 § 2 etc. actum est. In confirmationem suarum animadversionum Auctor opportune quae cum illuminata prudentia et sapientia Card. Dalla Costa Florentinus Archiep. in « Notificazione » scripsit die 31 martii a. 1940 (p. 126s) refert: quae verba seria meditatione apprime sunt digna.

F. M. C.

EICHMANN-MOERDSDORF, *Kirchenrecht*, *Ferdinand Schöningh*, *Paterborn*, vol. I. 18 vesp. 22 D. M.; vol. II. 16 vesp. 20 D M.

Notissimus in scientia j. c., auctor et director Instituti j. c. Monacensis, prof. Dr. Klaus Moersdorf, a. 1949 ediderat loco defuncti Prof. Eichmann sextam editionem cl operis « Lehrbuch des Kirchenrechts »; iam a. 1953 secuta sunt duo volumina septimae editionis apud Ferdinand Schoningh, Paderborn. Primum volumen continet introductionem, partem generalem, tractatum de personis; secundum vero refert ius de rebus. In praefatione M. bene notat Codificationem scientiae j. c. magnum impulsum dedisse, cuius maturus fructus iam a. 1923 sese manifestavit in prima editione Prof. Eichmann: Lehrbuch des Kirchenrechts. M. totam suam operam in septima editione in eo collocavit, ut novissima quaeque elementa j. c. in tria volumina reciperet. Nam ex tempore Codificationis plura dubia authentica interpretatione gavisa sunt; insuper in Curia Romana normae datae sunt, quae Codicem quandoque non solum supplent, sed etiam excedunt. Ut quaestiones, quae tangunt curam animarum, administrationem, ius processuale, uberius exponi possint, tria volumina M. censuit edenda. Scopus principalis trium voluminum intendit studiosos s. theologiae in scientiam j. c. introducendos tali modo, ut perspiciant ius canonicum non esse extrinsecum quid et accidentale Ecclesiae, sed essentiale quid. M. procedit iuxta normam Codicis praemittendo Introductionem, cuius prima pars tractat de conceptu juris, de ecclesia, de jure canonico; secunda pars exponit fontes j. c. eiusdemque scientiam; tandem tertia pars respicit relationem inter Ecclesiam et Statum. Notare velim, quae M. optime asserit de relatione inter plus ius et moralitatem et de difficultatibus, quae in utroque conciliando occurrere possunt. Ius et caritas non sibi contradicunt; nam caritas supponit ius et ius ipsum tandem aliquando in caritate suum ultimum terminum obtinet. Splendida sunt, quae M. disserit de Ecclesia, quam definit: ecclesia est novus populus Dei vivens in ordine hierarchiae ad perficiendum regnum Dei in terra. In quaestione de existentia juris in Ecclesia catholica reicit M. juste theoriam Rudolphi Sohm asserentis: essentia Ecclesiae et essentia juris sibi contradicunt. Post subministratam Litteraturam transitus fit ad relationem inter Ecclesiam et Statum in genere, et quoad Germaniam in specie. Loquendo de canone primo M. extendit favores Codicis uti cc. 882; 2254; 2290; 2252; 1044: 1045 etiam ad Orientales. Optime M. disserit de illo termino canonis 5: consuetudines *tolerari* possunt. M proprium tractatum de lingua C.J.C. praestat disseritque de difficultatibus, quas subiit ipse legislator in uniformi terminologia obtinenda; quae difficultates sentiuntur in terminologia Codicis; ideo prudentia in interpretatione Codicis adhibenda. In tractatu de legibus invenies etiam excursum de aequitate canonica, et in tractatu de dispensatione exponitur illud « tolerare et dissimulare ». Optima dicuntur in expositione clara can. 81. Bene auctor notat diversum usum vocis « religiosus » in cc. 487; 1757 par. 3 n. 3; 1830 par. 1; item disserit M. de procuratore necnon de actibus ,in quibus procurator adhiberi nequit aut potest. Copiosa explicatio optimaque datur can. 105,

imprimis quoad disputatum illud « satis est », et quoad ambiguum terminum « approbare ». Iuste tenent M. privilegium fori in quibusdam territoriis vi consuetudini abrogatum esse, quam Secretarius Status Merry del Val 16. 12. 1911 agnovit. M. fundat coelibatum in lege, non in voto. Iuste asserit auctor Vicarium generalem in casu recepti mandati specialis agere potestate ordinaria, non delegata; item insistit, ut canonico theologo revera conferatur illud munus, quod ei competit vi suae institutionis, sc. exponendi S. Scripturas. M. notat vcem « parocia » in C.J.C. haberi sex diversas significationes. Auctor haud omittit monere Superiores ecclesiasticos ad applicandum ius commune, v. g. quoad ecclesias filiales et collationem vicariae. M. sumit in can. 542 metum gravem in sensu: sive iuste sive iniuste incussum.

Primum volumen, quod sequitur recensio secundi voluminis, sese praesentat uti opus perfectum tum copia materiae et Litteraturae uberrime in notis allegatae tum interpretatione sanae doctrinae, etsi quis in uno vel altero puncto aliter sentiat. Opus non satis laudandum.

Legas p. 74: A.A.S., 9 (1917) *399*.

Volumen secundum complectitur totum librum tertium proceditque iuxta divisionem Codicis; sed tractatum de dispensatione M. ponit post impedimentum cognationis spiritualis. Primo exponitur optime conceptus vocis « res », in can. 726, notatque iustissime canonem non exhibere definitionem legalem rei; nam medium ad finem Ecclesiae consequendum potest esse etiam persona moralis; porro eundem finem persequitur non solum tractatus de rebus, sed universum ius canonicum. Ad can. 731 M. citat decretum S.C.S.O. de 15. XI. 1941, non publicatum in A.A.S., circa administrationem sacramentorum schismaticis in periculo mortis commorantibus. Valentne, ita M., nostris temporibus in magnis civitatibus praesumptio iuris et de jure (c. 3. X. III. 43): christianus est is, qui natus de christianis parentibus et inter christianos est fideliter conversatus? In tractatu de s. Confirmatione M. intrat in quaestionem de sacerdote sine charactere episcopali uti ministro huius sacramenti citatque gravem suum tractatum in « Miscellanea *Comillas* » XVI (1951), p. 95-110: « Weihegewalt und Hirtengewalt in Abgrenzung und Bezug ». Optime disserit M. de potestate, qua in sacramento poenitentiae peccata remittuntur extollitque Cardinalem Lega, qui solus mente clara perspexit distinctionem potestatis ecclesiasticae, quique sacramentalem absolutionem habuit uti actum iurisdictionis *voluntariae*. M. refert ad suum tractatum: « Der hoheitliche Charakter der sakramentalen Lossprechung ». M. loquendo de sacramento s. ordinis commemorat privilegium Bonifacii IX de 1. 2. 1400 pro abbate O.S.A. S. Osithae in dioecesi Londinen.; privilegium Innoc. VIII de 9. 4. 1489 pro Abbate Generali Cisterciensium necnon aliis quattuor abbatibus. Novissimo tempore inventum est privilegium Mart. V. de 16. 11. 1427 pro abbate Cisterciensi « Cellae S. Mariae » (Altzelle) Misnensis dioecesis, « singulis monachis eiusdem monasterii ac personis tibi abbati subiectis omnes etiam ordines conferendi sacros dioecesani loci licentia super

hoc minime requisita ». Bene ad can. 987 n. 1 dicitur: impedimentum cessat conversione aut *morte* genitoris acatholici aut utriusque, si ambo sunt acatholici. In definitione matrimonii rati relate ad can. 97 par. 1 M. suam sententiam propositam in « Rechtssprache » p. 218 mutavit. In praesenti tractatu M. sumit matrimonium ratum in can. 97 par. 1. pro *omni* matrimonio valido; in can. 1118 pro matrimonio inter duos baptizatos. In explicatione matrimonii civilis M. tangit etiam quaestionem: sufficitne pro usu can. 1098 matrimonium civile? estne connubium sowjeticum verum matrimonium? Notanda est pro diversitate opinionum definitio impedimenti occulti et publici. Exponendo can. 1058 M. propugnat sententiam a Gasparri et Oesterle propositam: contrahens sine dispensatione voti simplicis vi can. 1111 gaudet aequo iure et officio quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae; votum pro tempre matrimonii est suspensum. Circa impotentiam, de qua tres theoriae, iuste monet M.: clara distinctio inter impotentiam et sterilitatem olim non data fuit neque in nostra doctrina datur. Haud sub silentio praetereunda est sententia a M. proposita: vi can. 1043 sq. datam esse etiam sanationem in radice. Estne pro confessario in can. 1045, par. 3 casus occultus idem ac impedimentum occultum? Ad pag. 207 notandum erit: recursus ad S. Poenitentiariam fieri potest etiam in lingua italica, gallica, immo in lingua vernacula; sedes S. Poenitentiariae est Roma, Via della Conciliazione 34. In exponendo consensu matrimoniali M. iuste tenet limitationem temporariam iuris in corpus invalidare contractum definitque clare illud « omne ius ». Optima sunt, quae scribit M. circa voluntatem sese non obligandi et voluntatem non adimplendi susceptam obligationem; ipse censet vi controversiae Staffa-Oesterle distinctionem in re matrimoniali in dubium vocatam fuisse; eo magis, quia sententia Staffa a sequente Turno cassata est. Item asserit metum indirectum sufficere ad causandam nullitatem. Tangitur etiam jus matrimoniale Orientalium, quod condicionem non admittit, et explicatur; item aliis occasionibus M. se refert ad ius orientale. Per transennam notatum sit M. respicere etiam ius civile germanicum. Ne recensio nimium spatium occupet, breviter quaedam puncta notanda sunt: in jure de sepultura dirimit quaestionem: quis est competens pro funere religiosorum religionis laicalis non exemptorum a iure parochiali, parochus aut superior laicalis delegando sacerdotem? M. iuste declarat: parochus loci. Notatu digna sunt, quae M. proponit circa bona parochiae domui religiosae unitae quoad temporalia tantum et unitae pleno iure. Ad pag. 435 c. allegari potuit privilegium Praemonstratensium obtinendi et retinendi saeculares ecclesias parochiales et vicarias sine Apostolica dispensatione (Bened. XIV. C. « Oneroso » 1. sept. 1750). Can. 1511 creat M. difficultatem; nam communiter docetur: res mobiles, etiam ad S. S. vel alias personas iuridicas rite pertinentes praescribuntur iuxta normas praescriptionis civilis. Quid iuvat actio personalis aut realis in S. S. post centum annos? Ad can. 1531 M. allegat P. Ciprotti (Apollinaris vol. 11 p. 127 ss.), qui nixus decisione S.C.C. de 17. 9. 1919 (A.A.S. vol. XI 416 sq.) censuit alienationem in ordine *ad debita solvenda* factam permitti debere a S. S. cuiuscumque pretii res alienanda

est; nam solutionem debitorum non esse collocationem pecuniae, ideoque necessariam esse dispensationem pontificiam super can. 1534. M. reicit hanc opinionem declarando: solutio debitorum, imprimis coepta deberi, communiter habetur uti iusta causa alienationis (c. 1530 par. 1 n. 2). Praeceptum Codicis collocandi pecuniam (c. 1534, lege 1531) fundatur in rationibus oeconomicis; generaliter loquendo sub hoc respectu solutio debiti optima est collocatio pecuniae. Notanda sunt, quae M. proponit circa can. 1536 et can. 1541. Tandem ad can. 1551 M. commemorat decretum Curiae Paderbornen. huius tenoris: in tabulis fundationis inserenda est clausula cautionalis in hunc modum: obligatio ex fundatione resultans aut exstinguitur aut diminuitur, prout summa capitalis absorpta est aut perdit suum originarium valorem. Velim concludere recensionem iisdem verbis, quibus conclusi recensionem sextae editionis: « Prodit summam scientiam iuridicam, qua gaudet auctor. Opus omnibus j. c. studiosis non satis commendari potest ».

D. G. Oesterle, O.S.B.

DOCUMENTA
ET
CHRONICA

DOCUMENTA

ALLOCUTIONES

I°

*Sodalibus Adoratoribus Ss.mi Eucharistici Sacramenti**

Come Ci è dolce di accogliere la pia domanda della « Ven. Arciconfraternita della Adorazione notturna al Santissimo Sacramento » e della « Associazione dei Sacerdoti Adoratori », che in preparazione alla loro Assemblea generale hanno desiderato di adunarsi intorno a Noi, bramosi di accrescere in sè e intorno a sè l'amore della Eucaristia, centro di vita di santificazione.

Nella Enciclica « *Mediator Dei* » sulla sacra Liturgia Noi ricordammo l'insegnamento della Tradizione e dei Concilî intorno all'adorazione dell'Eucaristia e lodammo le varie forme di questo culto, annoverando fra le più belle e salutari l'adorazione pubblica del Santissimo Sacramento, praticata specialmente da Associazioni sacerdotali, da Congregazioni religiose e da Confraternite di laici. E nella Esortazione a tutto il Clero « *Menti nostrae* » sulla santità della vita sacerdotale Noi terminavamo il quadro delle virtù sacerdotali con le seguenti parole: Queste e le altre virtù del sacerdote potranno essere facilmente acquistate dai giovani nei Seminari, se fin dalla prima età essi avranno appreso e coltivato una sincera e tenera devozione a Gesù « veramente, realmnte e sostanzialmente » in mezzo a noi presente e dimorante sulla terra, e se faranno di Lui Sacramentato il movente e il fine di tutte le loro azioni, delle loro aspirazioni e dei loro sacrificî.

Come il santo Sacrificio della Messa religiosamente offerto dal sacerdote con la intima partecipazione dei fedeli, in unione con tutta la Chiesa, è e rimane il grande atto del culto divino, così il culto eucaristico viene celebrato dovunque l'Uomo-Dio presente nel Sacramento è adorato, anche e in molteplici forme al di fuori del Sacrificio. Senza dubbio il buon Pastore ha voluto essere un vero pane, come canta il Dottore Angelico nelle sue mirabili poesie così alte e così dense. A lui non basta di essere adorato; vuol essere anche il nostro nutrimento. « Se non mangerete la carne del Figliuolo dell'uomo ... non avrete in voi la vita » [6]. Il suo amore senza limiti ha messo questa condizione alla nostra felicità: Non avrete parte con me (per usare le parole del Signore stesso) [7], se non vi nutrirete con la mia carne. Ma l'anima, che ha compreso l'amore del suo divino Maestro, non si contenta dei pochi momenti, in cui il Pane degli angeli riposa sulle sue labbra: ha bisogno di vedere ancora e di adorare a suo agio l'onnipotente Signore,

* Habita die 31 Maii mensis a. 1953.

[6] Ioan. 6, 54.

[7] Ioan. 13, 8.

che sotto l'umile immagine del pane si mette al suo servizio; ha bisogno di contemplare instancabilmente quel tenue velo, che al tempo stesso le nasconde e le rivela l'amore del suo Salvatore; ha bisogno di dimorare lungamente dinanzi all'Ostia consacrata e di prendere alla vista della umilità di Dio un'attitudine del più umile e profondo rispetto.

Quale lezione più sublime di questa reale presenza dell'Uomo-Dio sotto la forma di un fragile pane? Il pane è il nutrimento di tutti, è fatto unicamente per servire, per mantenere la vita Così è il sacerdote secondo il cuore di Cristo; egli non mette alcuna condizione per il suo servizio, è sempre benefico e intieramente si dona.

Ciò che vale eminentemente per il sacerdote, si applica anche ad ogni cristiano, poichè la carità è il comandamento universale, che in sè racchiude tutta la legge del Salvatore. Ricordate la commovente parabola del buon Samaritano, nella quale Gesù ha dipinto il suo Cuore e lo ha dato a noi come esempio: « Va e fa anche tu lo stesso » [8]. Trovate il tempo, le forze, il danaro necessari per soccorrere, nel miglior modo possibile, qualsiasi degli uomini vostri fratelli. Siate per lui utili e buoni come il pane, e in pari tempo umili, poichè altrimenti la vostra carità non penetrerebbe sino al fondo del suo cuore, di quel cuore che bisogna guadagnare a Dio, aprire all'azione della grazia.

Chiunque dimora spesso e lungamente prostrato ai piedi dell'Ostia, comprende la lezione del pane eucaristico e prova il bisogno imperioso di metterla in pratica, di obliare completamente sè stesso, di donarsi agli altri senza limite. Da questo appunto tutti riconosceranno che siete discepoli di Cristo [9], veri adoratori in spirito e in verità, che glorificano il Padre, imitando il Figlio.

Non abbiamo detto che una parola della carità, che proviene dal Sacramento di amore, perchè è il comandamento del Signore; ma la Santa Eucaristia è per i suoi adoratori una sorgente inesauribile di luce e di forza. Coloro specialmente, che nelle ore silenziose della notte si uniscono alla adorazione degli Angeli, e rendono all'Agnello che fu immolato [10] le azioni di grazia che Gli sono dovute, attingono abbondantemente per sè stessi e per tutta la Chiesa acque dalle fonti del Salvatore [11]. Affinchè il numero degli Adoratori notturni e quello dei Sacerdoti adoratori aumenti costantemente; affinchè il loro fervore sia un esempio e un sollievo per la nostra Città; affinchè il divino Maestro presente e nascosto nel Santissimo Sacramento si lasci commuovere dalle loro perseveranti suppliche e si mostri sensibile ai loro omaggi; impartiamo di cuore a voi, diletti figli qui presenti e ai membri delle vostre Associazioni che non hanno potuto unirsi a voi, la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

(*A.A.S.* vol. 45, pag. 416-418).

---

[8] Luc. 10, 37.
[9] Cfr. Ioan. 13, 35.
[10] *Apoc.* 5, 12.
[11] Cfr. Is. 12, 3.

II°

*Sacerdotibus ab Italiae Episcopis pro iuvenibus ab Actione Catholica deputatis qui Studio de recta religiosa iuvenum institutione Romae adfuerunt.**

Abbiamo atteso questo incontro, diletti figli, Assistenti diocesani della Gioventù Italiana di Azione Cattolica, con grande desiderio, fin da quando apprendemmo che sareste convenuti in Roma. Ci premeva infatti di manifestarvi il Nostro compiacimento per quanto avete operato in tutta l'Italia a vantaggio dei carissimi Nostri Aspiranti e Juniores di Azione Cattolica, e volevamo cogliere l'occasione per dirvi anche una parola di affettuoso incoraggiamento e di paterna esortazione.

Per mettere in comune le vostre esperienze, per ridurle a sistema, per applicarvi assiduamente allo studio dei principî e dei metodi della educazione cristiana, voi avete voluto organizzare questa Settimana di pedagogia religiosa, i cui lavori Noi benediciamo nuovamente con tutta la effusione dell'animo Nostro, auspicando che da essa nasca l'impulso e il metodo per una « Catechesi », che non si limiti ad un apprendimento mnemonico, il quale spesso risulta di scarsa efficacia, ma vada oltre, impegnando maestri e discepoli e quanto essi sono ed hanno per natura e per grazia.

Benvenuti dunque, diletti figli! Possa lo Spirito Santo scendere su ciascuno di voi, fiamma viva che illumina le menti e riscalda i cuori! Possiate voi lavorare e pregare *cum Maria matre Iesu*, sicchè dal vostro ritrovo, come da un altro Cenacolo, escano apostoli operosi e santi, quali il mondo li attende.

Terminati i vostri lavori, voi tornerete in mezzo ai giovani, e allora Noi vorremmo che vi faceste interpreti delle Nostre speranze, delle Nostre ansie e dei Nostri desideri.

1. In questi tempi di tanta trepidazione e così risolutivi per la salvezza degl'individui, per l'ordine nelle nazioni e per la pace fra i popoli, la Chiesa ha chiamato e continua a chiamare a raccolta tutti gli uomini di buon volere, affinchè si considerino come mobilitati per la lotta contro un mondo così disumano, perchè così anticristiano. Noi stessi andiamo ripetendo che, crollate alcune vecchie strutture, occorre intraprendere l'opera della ricostruzione di un mondo in molti aspetti diverso e migliore. Ora Noi guardiamo la Gioventù cattolica come una delle più belle forze, sulle quali si può fare sicuro assegnamento. Oltre 200.000 Iuniores e 300.000 Aspiranti sono certo preziose reclute di un grande, promettente esercito: splendida primavera di giovinezze da poco sbocciate o che stanno per aprirsi alla vita.

Ci pare quasi di vedere qui raccolte tutte le anime di questi carissimi figli, pupilla degli occhi Nostri. Voi infatti li portate, in modo misterioso ma vero, nel vostro cuore sacerdotale, e in questo momento

* Habita die 9 Septembris mensis a. 1953.

state come presentandoli a Noi per invocare su di essi la benedizione di Dio. Dite loro che il Papa li ama di tenerissimo amore e conta su ciascuno di loro. Dite che abbiamo bisogno di giovani eroi, disposti a tutto per amore di Cristo e della sua Chiesa. Noi siamo certi che basterà un Nostro « cenno », una Nostra « voce », perchè l'Altare abbia il suo esercito, pacifico ma ardito, pronto alla difesa, alla conquista, alla positiva costruzione.

2. Ma proprio questo tenerissimo amore per i giovani, e le speranze che riponiamo in loro, Ci riempiono talvolta di ansia per i pericoli che essi incontrano quasi dappertutto, fatti — come ognuno vede — oggetto di tante insidie, di tanti assalti, in questo mondo, che li stordisce col suo frastuono, che li stanca con la sua perpetua irrequietezza, che li disorienta col suo relativismo quanto alla verità e all'errore, al bene e al male, che li affascina con la sua policromia, che li avvilisce con la sua volgarità, che l'incatena con la sua lussuria.

Non vi è anima pensosa delle sorti del mondo, che non viva in apprensione per i giovani, mentre non è difficile di accorgersi che sul loro cammino sono in agguato ladri e malfattori, pronti ad assalirli, a depredarli, a ferirli, e poi a scomparire, lasciandoli semivivi sulla via. In questa strage spirituale, perpetrata giorno per giorno, ora per ora, non si fanno eccezioni per alcuna categoria, non si bada a spese, nè vi è esclusione di mezzi e di colpi da parte di una malvagia e complessa industria del peccato.

Sa il Signore la Nostra tristezza di fronte a questo spettacolo di morte: quando domenica scorsa leggevamo nella Messa il Santo Vangelo e consideravamo il pianto sconsolato della vedova di Naim, Noi avremmo voluto supplicare Gesù di tornare nel mondo per asciugare le lacrime della Chiesa. Vi è per le nostre strade come un macabro corteo di anime morte o morenti! E il peggio si è che non poche di esse, anche se Gesù si avvicinasse loro per operare il miracolo della risurrezione, volgerebbero altrove lo sguardo e preferirebbero la morte alla vita.

Poichè i tempi urgono e il multiforme nemico diviene ogni giorno più subdolo e invadente, bisogna al più presto dare inizio a una vasta azione di salvezza e di riacquisto, a cui desideriamo che cooperino tutte le forze cattoliche con intelligente e tenace zelo.

3. E' grande dunque l'impresa da compiere: espellere il nemico, che fosse già penetrato in grembo alle vostre Associazioni, sbarrargli il passo ove tenta di entrare, e finalmente uscire in campo per la salvezza di tutti i giovani. Per questa impresa facciamo una solenne esortazione a tutti i Nostri carissimi figli Aspiranti e Iuniores. Siamo sicuri che, se i cinquecentomila ragazzi fossero qui presenti, Noi non avremmo avuto nemmeno il tempo di formulare interamente l'invito, perchè già sarebbe risonato come un tuono il *Sì* dell'adesione pronta e gioiosa. Ma, affinchè l'esito della grande impresa non venga compromesso da ambiguità o da esitazioni pericolose, Noi desideriamo che i ragazzi di Azione Cattolica abbiano in primo luogo intelligenza chiara.

Occorrono cioè idee precise e convinzioni profonde, perchè esse suscitano l'entusiasmo, la forza di resistenza, la generosità, mentre poco o nulla si conclude con giovani distratti, accidiosi, superficiali. Guai a contentarsi — come accennavamo all'inizio — di formule imparate a memoria senza comprenderne il senso! Torniamo quindi ad additare la urgente necessità di una « Catechesi » precisa, completa, che non trascuri bensì il sussidio della memoria e del sentimento, ma punti poi sulla ragione e spieghi, per es., che il sincero e cosciente atto di fede è l'atto umano più razionale e più ragionevole. Date ai giovani una visione il più possibile organica della dottrina cattolica. Fate che essi veggano in Gesù l'appagamento del vivo bisogno che è in loro di pienezza, di armonia, di luce nelle loro idee.

Ma nessuno studio, nessuna pur seria applicazione, può rendere alcuno infallibile, e tanto meno i giovani, i quali per la loro inesperienza sono più degli adulti esposti al pericolo di errare. E allora occorre che a una mente ricca di idee chiare si accompagni nel giovane cattolico una volontà docile. Questo non significa — come alcuni potrebbero credere — che il giovane debba divenire fiacco, pigro, incapace di proprie determinazioni, e quindi pressochè inutile, praticamente, per la Chiesa, che lo vuole invece pieno di spirito inventivo, sempre vivace e operoso. Ma egli, d'altra patre, deve avere una volontà così forte, da abbacciare, facendola propria, la volontà di chi riconosce come suo superiore.

Ora chi può e deve vigilare e sorreggere i giovani cattolici? Evidentemente il sacerdote Assistente, il quale, se sa manovrare il timone con fermezza e con tatto, difficilmente vedrà andare alla deriva la sua Associazione, tanto più che i dirigenti laici sono essi stessi desiderosi e lieti di essere convenientemente illuminati e guidati. Occorre specialmente raccomandare che nulla sia dato alle stampe in sede parrocchiale, diocesana e nazionale, senza che l'Assistente lo abbia prima esaminato. Sei i giovani hanno idee chiare, convinzioni profonde, volontà forte e docile, voi tanto più efficacemente potrete additare loro le grandi mete che li attendono nella vita.

Alcuni di essi, un giorno, potranno essere Sacerdoti come voi, Ministri di Dio, mediatori fra Dio e gli uomini. Parlate loro con persuasione e con calore delle grandezze del sacerdozio. Dite loro che, mai forse come oggi, la messe è stata tanto copiosa. Ma gli operai sono pochi, e per conseguenza nella impossibilità di accorrere dovunque la loro presenza è ardentemente invocata.

Altri giovani — la stragrande maggioranza — sono chiamati da Dio ad essere suoi cooperatori nella procreazione di nuove vite. Fate conoscere loro la bellezza dell'amore christiano; e per prepararli alla formazione di una famiglia onesta e felice, fate loro gustare le beatitudini di una purezza incontaminata.

Finalmente vi è una meta, a cui tutti i giovani debbono tendere, qualunque sia la loro specifica vocazione. L'ora presente è veramente l'ora del Vangelo, dopo che sono falliti o stanno per fallire sistemi e

dottrine che avevano voluto fare a meno di Dio. Occorrono dunque giovani di integra fede, pronti a rinunciare alla mediocrità, ad uscire dall'equivoco, se mai vi fossero caduti; giovani che vogliano la vita divina, e la vogliano abbondantemente; giovani che, studiando o lavorando, parlando, pregando e soffrendo, abbiano in cuore — come una fiamma che li brucia — l'amore appassionato per Gesù, l'amore per le anime.

(*A.A.S.* vol. 45, pag. 607-611).

CHRONICA

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE:

7 Maii 1953 — *Const. Ap.* Progreditur continenter, *vi cuius Apostolica de Meru Praefectura, in Africae Orientalis Britannicae territorio exstans, ad dioecesis provehitur dignitatem, Meruensis posthac appellandae, curis commissae sacerdotum ex Instituto Missionum a Consolata* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 33-35).

4 Junii 1953 — *Const. Ap.* Solent caeli, *qua ab Apostolico Vicariatu Aleppensi regio separatur, quae in Rempublicam protenditur Libanensem, eaque in novi Vicariatus formam redigitur, qui Berytensis cognonime nuncupabitur* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 36-37).

29 Junii 1953 — *Const. Ap.* Praeclara Christi, *per quam Apostolica de Jos Praefectura, in Nigeria regione, novis terminata finibus, dioecesibus accensetur, Josensis nomine data ac sub metropolitanae Sedis Onitshaënsis dicione contenta* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 38-40).

29 Junii 1953 — *Const. Ap.* Magno gaudio, *cuius tenore Apostolicae Praefecturae de Kaduna, in Nigeria, immutatis finibus, titulus tribuitur ac dignitas dioecesis, cuius cathedra episcopalis in Kaduna urbe collocabitur* (*A.A.S.* - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 81-83).

29 Junii 1953 — *Const. Ap.* Profecit valde, *vi cuius Apostolicus Sueciae Vicariatus inter dioeceses refertur eique Holmiae nomen inditur* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 40-42).

19 Septembris 1953 — *Const. Ap.* Mutant res, *qua in Indica Regione aliquae episcopales Ecclesiae e suis cuiusque Ecclesiasticis Provinciis distractae, nempe dioecesis de Ranchi e Calcuttensi, Nagpurensis et Hyderabadensis e Madraspolitana et Meliaporensi, Bangalorensis ex archidioecesi Pondicheriensi et Cuddalorensi, Madhuraiensis e Provincia Bombayensi, metropolitana auctoritate donantur, atque ex iis novae instituuntur Ecclesiasticae Provinciae, reliquis apte definitis* (*A.A.S.* - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 83-87).

19 Septembris 1953 — *Const. Ap.* Summa illa, *per quam de Goana et Damanensi archidioecesi ac de dioecesi Poonensi, in Indica Unione, nonnulla excerpuntur territoria, quae in novam rediguntur dioecesim, cui, saeculari clero ex iisdem territoriis orto concreditae ac Bombayensi metropolitanae Ecclesiae suffraganeae, ab urbe Belgaum Belgaumensis cognomen erit* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1954, vol. 46, pp. 129-131).

25 Septembris 1953 — *Const. Ap.* Si magna, *cuius tenore quaedam civiles provinciae ab archidioecesis S. Dominici territorio disiunguntur, quibus duae dioeceses S. Jacobi Equitum et Vigensis, atque Praelatura nullius S. Joannis Magnanensis conduntur, eidem archidioecesi, dignitate auctae metropolitanae, obnoxiae* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1954, vol. 46, pp. 132-135).

22 Octobris 1953 — *Const. Ap.* Laetamur vehementer, vi cuius ex Hispalensi *archidioecesi regio civilis detrahitur, quae apud populum Huelva vocatur, ut nova inde constet dioecesis Huelvensis appellanda, sedi Hispalensi, uti suffraganea, subiecta* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1954, vol. 46, pp. 135-137)

LITTERAE APOSTOLICAE:

9 Martii 1953 — *Litt. Ap.* Quae antiquitate, *per quas paroecialis ecclesia Deo in honorem S. Severini, Ep., in urbe et archidioecesi Coloniensi dicata, Basilicae Minoris dignitate ac iuribus afficitur* (*A.A.S.* - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 89-90).

1 Julii 1953 — *Litt. Ap.* Ad romanam viam Aemiliam, *quibus Bronensi paroeciali et collegiali templo, intra Derthonensis dioecesis fines posito, honor et privilegia decernuntur Basilicae Minoris* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 43-44).

1 Julii 1953 — *Litt. Ap.* Quae intemerata, *quarum tenore S. Maria Goretti, V. et M., civitatis Neptunii, finibus Albanensis dioecesis contentae, ubi purissimam efflavit animam, altera constituitur et declaratur caelestis Patrona* (*A.A.S.* - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 190-191).

23 Julii 1953 — *Litt. Ap.* Quae religione, *vi quarum curiale templum Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Guadalupe consecratum, in urbe et archidioecesi Sanctae Fidei in Argentina situm, Basilicae Minoris titulo condecoratur et iuribus* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1954, vol. 46, pp. 138-139).

8 Decembris 1953 — *Litt. Ap.* Sideribus receptae, *per quas templum princeps dioecesis Covingtonensis, in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus, nomine ac privilegiis Basilicae Minoris exornatur* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1954, vol. 46, pp. 139-140).

EPISTULAE:

11 Februarii 1954 — *Ep.* Cum hodie quintus, *ad Virum Aloisium Einaudi, Italorum Reipublicae Praesidem, ob quinque exacta lustra ex quo in Lateranensibus aedibus pacta conventa inter Apostolicam Sedem atque Italorum Nationem feliciter inita fuere.*

Rei memoratu dignae, quam « in fastos referre oportet », quaeque « *rerum adiuncta et tempora, quibus evenit, omnino exsuperat* », *mo-*

mentum animadvertit Pontifex Maximus. Ea enim est, « quae ad populi, imprimis... carissimi, concordiam ac veri nominis prosperitatem summopere confert ».

Dein christiani nominis Parens et Magister, palam faciens se « partem illam Arae Pacis Augustae, quae in Museo Vaticano asservatur ». Praesidi eidem et Nationi donaturum, ait: « Esto huius arae fragmentum illius pacis insigne, quae XXV abhinc annis inter Apostolicam Sedem et Italiam convenit, atque etiam plenissimae illius pacis, quam Divinus Redemptor, concinentibus angelis, hominibus nuntiavit bonae voluntatis (Cfr. Luc. 2, 14) » (A.A.S. - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 94-95).

7 Martii 1954 — *Ep.* Mariali hoc vertente anno, *ad Cardinalem Alfridum J. Schuster, sacrum Mediolanensium Antistitem, cui quinquaginta post initum sacerdotium ac viginti quinque post acceptum Purpuratorum Patrum ataque Episcoporum munus auspicato revolvuntur anni* (A.A.S. - 12 Aprilis 1954, vol. 46, pp. 140-141).

ALLOCUTIONES:

30 Decembris 1953 — *Alloc. ad eas quae Conventui Delegatarum pro puellis in Actionis Catholicae Consociationem ex Italia ascitis, Romae acto, interfuere* (A.A.S. - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 44-49).

5 Januarii 1954 — *Alloc. ad Unionis Catholicae Italicae Magistrorum secundi ordinis Moderatores, qui Romam coierant Congressionis Nationalis ob decem praeterlapsos annos ab eadem constituta Unione habendae gratia* (A.A.S. - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 50-54).

18 Martii 1954 — *Alloc. ad Virum Douglas Frederick Howard K. C. M. G., M. C., Legatum extra ordinem liberis cum mandatis Magnae Britanniae, Litteras demandati sibi muneris testes Anstistiti sacrorum Maximo deferentem* (A.A.S. - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 55-56).

NUNTII RADIOPHONICI:

11 Januarii 1954 — *Nunt. Radioph. ad Chiliae universae christifideles, quo Radiophonicam Stationem, eorum ope institutam, inauguraret* (A.A.S. - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 56-58).

12 Januarii 1954 — *Nunt. Radioph. ad eos qui Habanae in Cuba insula quinto Congressui inter Americae Nationes indicto, de catholica adulescentium educatione provehenda, affuerant.*

In quo Beatissimus Pater, gratulatus de felici Consociationis inter Americae Nationes incremento per quam Congressus coactus est, peculiares recenset ingenii dotes, quibus boni magistri exornentur oportet, ut munus suum rite absolvant; ac memoratis Ecclesiae conaminibus

in educatione adulescentium Americae promovenda postquam huius Nationes sui iuris factae sunt, in certa spe ponit eadem conamina in posterum esse perseveratura ad commune societatis bonum (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 59-62).

14 Februarii 1954 — *Nunt. Radioph. ad christifideles qui ubique terrarum aegrotant, occasione oblata diei pro infirmis Mariali Anno relabente indicti* (*A.A.S.*, - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 95-99).

ADHORTATIO:

28 Februarii 1954 — *Adhort. ad Almae Urbis curiones et sacros quadragenarii temporis oratores, quibus salutifera praecepta tradit de ratione operam impendendi suam, in praesentiarum rerum adiunctis, omnium christiadum animis Deo lucrandis* (*A.A.S.* - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 99-103).

ACTA SACRARUM CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS:

2 Julii 1953 — Beneventanae et Arianensis. *Decretum promulgatur, quo pagus vulgato nomine Corsaro e dioecesi Arianensi disiunctus Beneventanae archidioecesi tribuitur; ac vicissim ecclesia S. Mariae ad Nives ad pagum vulgo Morrone sita, e iurisdictione sacri Praesulis Beneventani eximitur et Arianensi submittitur* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 65-66).

28 Octobris 1953 — Cotabatensis et Suluensis. *Decreti tenore e territorio Praelaturae nullius Cotabatensis et Suluensis, in Insulis Philippinis, pars aliqua demitur, eâque Praefectura Apostolica Suluensis fundatur, S. Congregationi de Propaganda Fide subiecta* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 66-67).

3 Novembris 1953 — Guayaquilensis. *Decretum editur, per quod vetustum cathedrale Capitulum Guayaquilense, quibusdam mutatis, nova ratione constituitur* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1954, vol. 46, pp. 143-144).

21 Novembris 1953 — Magnae Britanniae. *Decreto in lucem emisso Vicariatus Castrensis in Magna Britannia conditur, cuius sedes et Curia Londinii ponitur* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1954, vol. 46, pp. 144-146).

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE:

6 Januarii 1954 — Costermanspolitan. (Bukavuensis). *Decreti vi statuitur Apostolicum in Congo Belgico Vicariatum, a nomine Bukavu quod oppido Costermanspolitano Belgii Moderatores imposuerunt, Bukavuensem esse deinceps appellandum* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1954, vol. 46, p. 148).

S. CONGREGATIO RITUUM:

16 Januarii 1953 — Lugdunen. *Decretum prodìtur, per quod liquere sancitur Famulum Dei Antonium Chevrier, Asyli cui vulgata appellatio « La Providence du Prado » ac Societatis Presbyterorum Pradosensium conditorem, virtutes theologicas et morales herois more secutum esse* (*A.A.S.* - 26 Augusti 1953, vol. 45, pp. 515-517).

21 Aprilis 1953 — Romana seu Corduben. *Decreti tenore statuitur, ut causa, quae Beatam Caelitem Raphaëlam Mariam a Corde Jesu, Congregationis Ancillarum SS. Cordis Jesu fundatricem, sanctitatis infula decorandam spectat, denuo institui queat* (*A.A.S.* - 28 Septembris 1953, vol. 45, pp. 567-568).

21 Aprilis 1953 — Romana seu Viterbien. *Lato decreto causam rursus iniri posse praescribitur, fastis Sanctorum ascribendam Beatam Caelitem Rosam Venerini, Magistrarum Piarum conditricem, attinentem* (*A.A.S.* - 28 Septembris 1953, vol. 45, pp. 568-569).

12 Maii 1953 — Urbis et Orbis. *Per decretum benedictionis formulam novi sacri Seminarii, a Pontifice Maximo approbatam cuiusque praebetur exemplum, in Rituale Romanum referendam esse iubetur* (*A.A.S.* - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 104-107).

3 Junii 1953 — Romana. *Decreto variationes nonnullas, post latam Const. Ap.* Christus Dominus *de disciplina quoad ieiunium eucharisticum faciendas, in rubricas cum Missalis tum Ritualis Romani induci servarique mandatur* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 68-71).

16 Octobris 1953 — Urbis et Orbis. *Decretum vulgatur, quo, quibusdam Sanctis Caelitibus renuntiatis ante per Pium XII supernis Patronis, opportuna additamenta Breviarii Romani lectioni sextae secundi Nocturni ut adiciantur, die revolvente festo eorundem Patronorum, praecipitur* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 71-72).

17 Januarii 1954 — Romana, *Editi decreti tenore constare edicitur de duobus miraculis, Beato Caelite Pio X intercedente, a Deo patratis* (*A.A.S.* - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 107-109).

17 Januarii 1954 — Oceania. *Typis consignato decreto liquere sancitur Beatum Caelitem Petrum Aloisium Mariam Chanel, e Societate Mariae presbyterum et Oceaniae primum Martyrem, duo miracu-*

la, quae eiusdem intercessioni tribuuntur, a Dei numine obtinuisse (*A.A.S.* - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 110-112).

17 Januarii 1954 — Brixien. *Per proditum in lucem decretum exploratum haberi praefinitur Deum, intercedente Beata Caelite Maria Crucifica di Rosa, duo edidisse miracula* (*A.A.S.* - 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 113-114).

S. CONGREGATIO PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS:

14 Januarii 1954 — *Evulgati decreti vi territoria Pontificiarum Legationum curae credita apud Respublicas Dominicianam, Haitianam, Venetiolae et Foederatarum Americae Civitatum, ad novum rerum statum accommodantur* (*A.A.S* 18 Martii 1954, vol. 46, pp. 115-116).

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS:

8 Decembris 1950 — *Decretum publicatur, quo Pontificium Seminarium a Pio XII nuncupatum excipiendis alumnis inferiores humanitatis ludus exercentibus e Meridionalis Latii dioecesibus, Albani erigitur* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1954, vol. 46, p. 149).

25 Octobris 1953 — In vulgus editi decreti tenore Senensi in urbe *Seminarium conditur, Pontificio nomine ac Pii XII honestandum, adulescenti clero Inferioris Etruriae, cum altioris humanitatis tum philosophiae ac theologiae disciplinis probe instituendo* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1954, vol. 46, p. 150).

ACTA TRIBUNALIUM

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA:

30 Martii 1953 — *Per decretum quingentorum dierum indulgentia, semel in die lucranda, christifidelibus conceditur, qui Marialem Coronam, rite benedictam, super se pie delatam osculati, Salutationis Angelicae verba:* Ave Maria, gratia plena; Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Jesus *devota mente recitent* (*A.A.S.* - 25 Maii 1953, vol. 45, p. 311).

12 Maii 1953 — *Decreti vi oratio quae incipit* Ave Maria gratia plena, lux fulgida *indulgentia trecentorum dierum vel plenaria, praefinitis condicionibus, ditatur* (*A.A.S.* - 30 Junii 1953, vol. 45, p. 430).

15 Januarii 1954 — *Decreto facultas christifidelibus datur ut, rite confessi ec caelesti pabulo refecti, indulgentiam plenariam lucrifacere valeant Coronam Septem Dolorum Deiparae Virginis pie recitando* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, p. 73).

ACTA OFFICIORUM

SECRETARIA STATUS:

16 Decembris 1953 — *Rescripto manu Antistitis publicis praepositi Ecclesiae ordinariis negotiis exarato, pontificia approbatione exornantur nova Statuta Palaeographiae ac Diplomatum Scholae in Urbe Vaticana apertae* (*A.A.S.* - 16 Februarii 1954, vol. 46, pp. 78-79).

ANTONIUS MAURO

Direttore Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA - Largo di S. Rocco, 1 (Tel. 65.786)
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 / 1950